

DECUPLA:

S I V E

PSALMI CIV.

Decem Paraphrases Poeticæ.


Auctoribus totidem SCOTIS:

V I Z.

GEORGIO BUCHANANO Præceptore } Regio.
GEORGIO EGLISEMMIO Medico }
DAVIDE HUMIO *Theagrio*.
THOMA RHÆDO Regi ab Epistolis Latinis.
THOMA HOPÆO Advocato } Regio.
ARCTURO JONSTONO Medico }
HEN. HENRISONO ab *Elvingston*, M. D.
GULIELMO STUARTO *Ochiltriæ* Regulo.
WINIANO PATERSONO *Glasguensi*, V.D.M.
ARCHIBALDO PITCARNIO M. D.

INSERUNTUR

GEO. EGLISEMMII Poeticum Duellum,
Consilium Collegii Med. *Parisi*. } de eodem.
GUL. BARCLAI M. D. Judicium }



EDINBURGI:

Apud THO. & WAL. RUDDIMANNOS.
M. DCC. XXXIX.

DECEPIA

SIVE

PSALMI CIV.

in Paraphrases Poeticas

Ab Iohanne Jacobo SCOTIA:

VI

Regio. }
Regio. }
Regio. }

Regio. }

Regio. }

Regio. }

Regio. }

Regio. }


Regio. }

INSTRUMENTA

Regio. }

Regio. }

Regio. }



FINIS

Regio. }

Regio. }

LECTORI benevolo
 GULIELMUS LAUDERUS S.

Hunc libellum, bonæ frugis plurimæque jucunditatis plenum, ac proinde lectu quidem dignissimum, rarissimum autem jam factum, cui, Anglicanâ potius quàm Latinâ appellatione, Georgii cujusdam Eglisemmii insania Poëtico duello tutulum fecit, reduco in lucem, Lector φιλόμυθος: id quod nobis, hoc præcipuè consilio, in præsentia factum est, ad præbendum scilicet juventuti Scoticæ Musarum studiis operanti, necnon junioribus quibusdam rudioribusque (si qui tales sunt) linguæ Latinæ in Scotia Præceptoribus aliquem veræ critices gustum, rem certe hominibus huius professionis omnibus pernecessariam. Porro, ei mihi adsequendo neque incommodum neque parum idoneum delicatum hoc opusculum à doctioribus paullò mordacioribusque scholarum apud Scotos Moderatoribus universis, omnibusque adeò ad unum æquis rerum censoribus, judicatum iri confido. Ceterum, hoc irritò labore certat Eglisemmius iste de palma cum Buchananæ Psalmi CIV. paraphrasi: quâ paraphrasi, decima olim Musa, Buchananus tulit laurum de multis gentibus, & eandem à genere humano. Sed insaniam suam Thraso iste impunè haud tulit. Vapulat enim acerrimè suavissimo, falsissimoque tamen, Arcturi Jonstoni carmine, cui id provinciae Academia Parisiensis, quam controversiæ judicem ipse elegerat Eglisemmius, vel potius Medicorum Parisiensium Collegium (quos inter, per lustra circà quatuor, secundâ existimationis famâ, Medicinam Jonstonus facitabat, Poëtæ ibidem Regii titulo merito suo cohonestatus) demandârat. Gulielmus etiam Barclayus, Medicinæ ac Philologiæ Professor doctissimus, vanam hominis arrogantiam, summo cum judicio, neque minori elegantia, prosâ oratione, quâ tum Eglisemmii, tum ipsius etiam Bachanani, paraphrasim accuratissimè ad examen

revocat, ἀνατιπρήτως compescuit. Variis præterea diversorum ejus popularium, Scotorum scilicet, (Hamiltoniensis enim fuit) Epigrammatis, sale multo atque aceto perfusis, Thrasonicæ luit iste pœnas jactantiæ.

Ceterum, stolidissimam istam scriptionem, Poëticum scilicet duellum, Londini typis Edwardi Aldæi, anno Domini 1619. primus publicasse ipse videtur Eglisemmiius: atque, insequenti demum anno, Gulielmi Barclay de eodem certamine judicium, Londini apud Georgium Eldum edendum curavit Sylvester quidam Volusenus Glascuensis, haud contemnendæ sanè eruditionis homo. Ad Collegii verò Medici Parisiensis de mania Hypermori medicalatri, sive Georgii Eglisemmii, consilium (quod facetissimo carmine exhibuit Arcturus noster Jonstonus, quod attinet, id carmen primò Parisiis anno 1619. prodit, tacito tamen auctoris nomine, Philologis quibusdam Parisiensibus adtributum: clauditur autem verissime meritissimoque, verique simul præfago, usitato atque eleganti Jonstoniani nominis cognominisque anagrammate, VIRTUS NOS ORNAT, manifesto indicio ejus fuisse: sed & postea suo sub nomine non semel ipse Jonstonus publicavit, unde omnis faceffere suspicio jubetur. Idem carmen denuò, eodemque anno, Edinburgi in lucem emisit Andreas Hart, celeberrimus iis temporibus typographus: bisque postea, eadem in urbe, semel, ante quadraginta scilicet annos, & nunc nostro in delectu iterum, vitales in luminis oras prodire jussum est.

Subjiciuntur etiam, propter argumenti similitudinem præter Buchanani atque Eglisemmii, atque Arcturi Jonstoni (quæ priori in parte, cæteros inter ejus Psalmos, compareret) Psalmi CIV. paraphrases poëticas, & aliæ septem, auctoris totidem Scotis, doctissimis clarissimisque viris. Has, præter duas, ex variis olim libris collegit, unaque cum Poëtico duello, ante quadraginta, & quod excurrit, annos, præmisso etiam haud ineleganti Latino carmine, publicandas curavit venerandus senex, avus meus maternus, D. Andreas Symson, V. D. M. doctissimus integerrimusque vir: quem, pro debita in progenitorem pietate atque reverentia, honorificè hîc appellandum existimavi, quemque sine summo scelere, quando res ita locisque talit, insalutatum præterire nec potui nec debui. Cl. viri Davidis Humii Theagrii ejusdem Psalmi

Psalmi CIV. paraphrasim, calido eam poëticoque spiritu
 fusam, benignè nobiscum communicavit, pro consueto
 beneficio beneficiendi remque literariam juvandi studio, D.
 Robertus Steuartus, Philosophiæ Naturalis in Academia
 Edinburgensi Professor dignissimus, cui copiosa admo-
 dum est sacrorum scriptorum, quorum percupidus est,
 suppellex, in quibus summa cum sanctitate juxta ac per-
 spicientia versatur assidue, cujusque exercitationis fru-
 ctum dictis factisque omnibus, hoc est, vitâ longè incul-
 tatâ, homineque verè Christiano dignâ, perpetuò exhibet.
 Alteram paraphrasin clarissimi quoque viri, atque Juris-
 consulti etiam prudentissimi, D. Thomæ Hopai de Craigh-
 all, Equitis, Regique olim Advocati, regnante Caro-
 lo I. serenissimo Britanniarum Monarchâ, (cui Walliæ
 Principi, vivo scilicet patre, totum Psalmorum librum,
 Canticumque Solomonis, Latino carmine heroico à se
 redditum, dedicârat) ex libro MS. penes nobilissimam
 instructissimamque, quæ Edinburgi est, Bibliothecam Juri-
 dicam, nostrâ manu exscripsimus, carmen adedò elegans
 orbi duntius literato invideri ægrè scilicet ferentes.

Porro, hoc ut obiter moneam, hæc viri clarissimi Psal-
 mi CIV. paraphrasis poëtica, earum, quæ hoc nostro
 sacrorum carminum in delectu comparent, à totidem Sco-
 tis concinnatæ, numero omninò est decima. Atque hîc
 certè nescio, an ulla alia gens tot tamque elegantes istius
 Psalmi, ceterorum omnium Regis, paraphrases poëticas
 ostentare possit. Quæ quidem res & poëtici Scotorum
 ingenii, eorundemque simul indolis ad omnem pietatem
 honestatemque factæ atque formatæ, haud obscurum
 certè, meo saltem judicio, suppeditat argumentum:
 quando omnis ferè ordinis atque conditionis apud eosdem
 viri, sacrarum Musarum ministerio lubentes adeo hila-
 resque, nemine vel cogente vel invitante, uti summa cum
 jucunditate palam videri poterit, addixerint se dediderint-
 que. Nunc verò, proh dolor! idem

*nec laudis amor, nec gloria constat,
 Pulsa metu: sed enim gelidus, tardante senectâ,
 Sanguis hebet, frigentque effatæ in carmine vires.*

Ceterùm, hosce nostros conatus, bonis literis promoven-
 dis unicè destinatos, æqui bonique consule, ac vale.

Di-

*Dignissimis (quia doctissimis, & in humanioribus
literis peritissimis)*

Gymnasiarchis, Philologis, Præceptoribus,
Didascalis, Hypodidascalis, Pæ-
dagogis, &c.

NEC NON

Omnibus cujuscunque ordinis artium amœniorum Cu-
ratoribus, Cultoribus, Fautoribus, Literatorum &
Literarum humaniorum amantibus, (& in hac classi-
memet colloco) Octuplam hanc, cum aliis tractatu-
lis, annexis vel annectendis, in testimonium debitæ ob-
servantiæ erga studia hæc amœniora: (omnium Artium
& Scientiarum basin & fundamentum:)

D. D. Dque.

ANDREAS SYMSON, V.D.M.D

LECTORI.

HOc opus haud nostrum est. Ego multa poëmata ver-
(Jam pridem scribi, jam quoque digna legi) (fans,
Tractatusque alios, quos invidiosa vetustas
Reddidit aut raros, proh pudor! aut laceros:
Ut vix, ac nè vix, tota inveniantur in urbe,
Mox, vereor, dicas, vix vel in orbe licet.
Semisepulta jacent doctorum scripta virorum:
Mortua si non sint, sunt moribunda tamen.
Hæc ego dum meditor, miscebitur utile dulci,
Dixi, si quis opem suppeditare velit.
Atque ita, ne pereant quidam, jam porrigo dextram:
Mox alios, si vis, lector amice, dabo.
Sunt mihi deliciæ, sunt cordi: nectaris instar
Ambrosiæque mihi: sunt, mihi crede, dapes.
His ego mordaces curas, his otia pello,
His fallo noctes, decipioque dies.

his disco, fateor, me sperni spernere : mundi
 Spernere, crede, minas, spernere & illecebras.
 Chartarum muris cinctus, murisque librorum
 Hinc, illinc, veluti tutus in arce moror.
 atque ego codicibus laceris dum verfor, & ægris:
 Ne dicar medicus, sed medicafter, ego :

ANDREAS SYMSON, V. D. M. D.

Edinb. Kal. Octob.

M. DC. XCVI.

*U. viri Thomæ Dempsteri Jcti de auctoribus
 quibusdam in hoc nostro Poëtarum Scotorum de-
 lectu, eorumque scriptis Testimonia, ex historia
 sua Ecclesiastica Gentis Scotorum excerpta.*

*De Roberto Bodio, cujus priori in parte Christiana
 exstat Hecatombe, testimonium, lib. II. p. 128.*

Robertus Bodius Trochoregius, vir nobili loco natus,
 & amœno ingenio, variam lectionem acerrimo ju-
 dicio temperans, artes optimas & didicit feliciter, & glori-
 osè in Galliis docuit. Ejus sunt multa : in his harmo-
 nia Evangeliorum, orationes, epistolæ. Vivit in Scotia,
 & literato domi otio fruitur, doctissimus ipse & doctorum
 auctor, Regi ac Principibus carus.]

De Georgio Eglisemmio, lib. v. p. 271.

Georgius Eglisemmius, Hamiltoniensis, bonas artes
 & didicit Lovanii in Belgio operosè, & docuit in
 Galliis gloriosè, Philosophiam Rothomagi primùm, mox
 & Lutetiæ summo auditorum applausu professus. Apud
 Cimbro & Batavos medicinam fecit, ut audio, felicissi-
 mè, nec Galeni osor, nec Chemiæ nimium addictus. De-
 mum à Rege Magnæ Britanniae inter domesticos Medicos
 adlectus, aliquod studiorum suorum præmium videtur con-
 secutus, Græcè Latinèque doctissimus, versu bonus &
 prosâ, omnibus cultioribus artibus, sed maximè spagiricis
 instructus. Varia publicavit. Ego tantum vidi Poëmata
 varia,

varia, Epigrammata varia, contra Worstium hæreticum declamationes philosophicas, duellum poëticum cum Georgio Buchanano in versione Psalmi CIII. [CIV. nostrâ supputatione:] (quo opere vellem abstinuisset, non quod ingenium contemnam, sed quia felicius aliud argumentum, & minùs invidiosum, eligere potuisset:) contra Thomam Reidum, præparationes medicamentorum. Vivit adhuc Londini, quàm longè potest ab aulico tumultu Musis vacans, quas seriò sanè & bonâ fide colit. Hactenus ille. Publicavit præterea narrationem de morte Ludovici, Lenoxii & Richmondia Ducis, ejusque fratris Marchionis Hamiltonii, & denique Regis Jacobi: in qua ostendit eorum mortem veneno acceleratam à perfido Buckinghamio, à quo, mortuo Rege, aulâ exactus in Germaniam invidiæ devitandæ causâ concessit.

De Gulielmo Barclayo, lib. ii. p. 120.

Gulielmus Barclayus nobilissimo loco ortus, Baronis Tauni frater, generis magnitudinem ingenii felicitate depreffit. Parisiis humaniores literas cum ingenti omnium admiratione professus est, quas Lovanii in schola Lipsii didicerat, cujus ad eum est epistola XXXIII. centuriæ III. Inde in Scotiam profectus aliquantisper substitit donec peregrè iterum abiit, atque in Galliis docere bonas artes sustinuit, Nanneti in Britannia minori. Ejus sunt multa, in his commentarius in vitam Julii Agricolaë Cornelii Taciti, genethliacon Jacobi Regis, orationes, declarationes, epistolæ eloquentissimo stylo, de aquis Spadanis. Vivit adhuc in Scotia, & medicinam, ut aiunt, popularem exercet.

*De Davide Humio Theagrio, lib. viii. p. 362 *.*

David Humius nato ad Musas ingenio, cultissimus Poëta, scripsit multa, sed ad me venerunt pauca: in his

* Hujus viri clarissimi poemata in deliciis Poëtarum Scotorum prioris seculi illustrium exstant, loco profectò dignissima.

sunt poemata varia; laudes patriæ, versu; adventus Regis in Angliam, versu; contra Episcopos, vernaculè; apologia Ministrorum Vasconum, vernaculè. Vivit adhuc in Scotia.

De Thoma Reido, lib. xvi. p. 576 †.

Thomas Reidus Aberdonensis, pueritiæ meæ & infantilis otii sub Thoma Cargillo collega, Lovanii literas in schola Lipsii seriò didicit, quas magno nomine in Germania docuit, carus Principibus. Londini diu in comitatu humanissimi ac clarissimi viri, Fulconis Grenvilli, Regii consiliarii interioris & Angliæ proquæstoris, egit: tum ad amicitiam Regis, eodem Fulcone deducente, electus, inter Palatinos admissus à literis Latinis Regi: scripsit multa, ut est magnâ indole, & variâ eruditione. Omnia Regis Jacobi VI. opera Latina fecit, & Londini publicavit. Ex aula se nuper sub annum 1618. eripuit, dum illi omnia festinati honoris augmenta singuli ominarentur: rumor postea fuit in aulam rediisse, & meritis honoribus redditum, sed numquam id consequetur quod virtus promeretur.

Thomæ Rhædo suo Gulielmus Barclayus S. P. D.

Cum induxisssem animum proferre judicium meum de Paraphrasi G. Eglisemmii, quæ publicè edita circumferebatur, ostendit mihi quidam ejusdem Psalmi Paraphrasim tuam: quam cum etiam censorio animo exactè legisssem, arbitratus sum dignam quæ videretur ab omnibus, & propter elegantiam carminis, & propter expressam Prophetæ mentem non semel præ ceteris, & propter antiquitatis & doctrinæ non obscura argumenta. satis scio te scire quæ dico; sed ut alii sciant promam exempla. Primum ipsum carmen pulcrum est, & splendet.

Eia

b *

† *Hujus in obitum Epicedium exstat elegantissimum Roberti Aytoni, viri literis ac dignitate clarissimi, in deliciis Poëtarum Scotorum, ubi & ipsius quoque poemata, pauciora quidem illa, sed venusta, sed elegantia comparent.*

Eia, age! divinos, mea mens! celebremus honores.

Et illud,

Tu gemmata tibi tendis conopea Cælos.

Et illud,

Pensilibusque hæere jubes cœnacula nimbis.

Quid potest dici argutius isto?

—————Ne concidat, in se

Undique nixa cadit.—————

Quod sequitur non limpide solum fluit, sed fluit ex fontibus Philosophiæ naturalis:

Tu trahis illimes montana ab origine fontes,

Quos pecudes & prata bibant.—————

Jam notemus Prophetam duobus versibus, 14 & 15 mentionem panis facere. Priore versu panem accipit pro omni cibo: hinc Tremellius vertit, *ut depromant cibum de terra*. Altero versu, panem capit pro pane propriè dicto, ut opponitur obsonio: sic hos versus interpretatur Theodoretus, & alii. Utramque sententiam exprimis:

Et dulces genus omne cibos.—————

Paullo post,

Et gustata Ceres fessos corroborat artus.

Quis non suspiciet reconditam eruditionem in illo versu

Cuique piam credit sobolem crotalistrâ, pinus.

Pia soboles, Latine & propriè dicitur. Et *crotalistrâ* convenit ciconiæ tam decorè, ut nihil suprâ. Et eleganter figurâ ponitur sine substantivo.

Amo hemistichium,

—————Licetorque sacras ulciscitur iras.

Maro videtur dictasse tibi *umbram odoratam*.

Cedrus odoratâ Libanum qui protegit umbrâ.

Qui ipse *umbram amaraci* vocaverat olim *dulcem*.

Non dicam oppidò quàm intimè penetraveris in sensum Prophetæ illo versu,

Tu stâta multiplici designas tempora lunâ.

Intueor *astriferum* illud *peplum*, admirans elegantiam translationis:

Ut verò astrifero textit nox omnia peplo.

His versibus quot figuræ lucent?

Plena tui tellus, rerum Sator! æquora plena:

Æquora squammigerûm domus ingens.—————

Servat & translationem & sententiam Prophetæ hoc quod sequitur,

Dum nova vernat humus, subitisque arridet alumnis.
Denique viginti aliquot versibus brevior es utroque Paphraſte. Fateor ſeriò & bonâ fide, me non audere per idorem exprimere laudes, quas ego judico te mereri. Sed, ne fraudetur lector tam exquisitè eleganti carmine, ſubjiciam totum. Quæſo te vel patriæ cauſſâ, cui vivimus, ne patiare venam illam tuam exareſcere. Non eſt argumentum, cui eſt & materies & Mæcenas, JACOBUS MAGNUS. Vale.

Incerti ad Thomam Rhædum Carmen.

AT periſſe tibi tacitas ſi conſtat Amyclas,
Cur tibi Amycleo more perire placet?
Barbita ſi Phœbi taceant, quis barbita laudet?
Aut quis in iis uſus, quidve leporis erit?
Prædulce melos tacuiſſet Thracius Orpheus,
Nec fera, nec cœptum ſiſteret amnis iter.
Semmatas niſi pandat avis Junonia pennas,
Incassum tantas Argus haberet opes.
Tu quoque, Pieridum ſi munera ſacra recondas,
Munera Pieridum deperiſſe puta.

U. Viri Gulielmi Cuminii, Philologiæ primò, poſteaſque Philoſophiæ in Acad. Edinb. Profeſſoris, de Gulielmo Stuardo Ochiltrio Teſtimonium.

*Thomæ Bello, H. L. P. Gulielmus Cuminius S. **

Q Uos ad te, dilecte Frater, non ita pridem miſi verſiculos, raptim quidem illos & calente calamo fuſos, audio jam prelo ſubjici: quod licet fieri neceſſe ſit, non ſine aliquo meæ cujuſcumque exiſtimationis diſpenſio, condonabo fortè, ut nihil non poſſum, perſpectæ tuæ in me voluntati & amicitiae. Tu videris ne dehoneſtamento ſint potius quàm ornameto inſigni tuo operi, elogiorum

b 2 *

rum

* *Tantâ linguæ Latinæ cognitione vir hic doctiſſimus nclaruit, ut, omnium Latinorum Poëtarum difficillimi, Auli Perſii prologum, carmen ſatis obſcurum, liberiori paraphraſi*

rum ejusmodi non indigo, cum bono vino non opus hederâ. Quo tamen minùs gravatè feram facit, quod subaudiam ipsos à severioribus criticorum calculis communiri carmine verè heroico, vernantem auctoris genum redolente, eximiae spei juvenis D. GULIELMI STUARTI OCHILTRII, qui in laborantis & expirantibundæ Poëtices incrementum, felice Mercurio, imo Numinis propitio, natus videtur. Quare tibi auctor sum, imò & supplex, ut opusculo tuo subjungas, quam nuper expedit, versionem novissimam Psalmi centesimi quarti, expleto nondum anno ætatis decimo quinto, ut vel inde pateat, quantas spes faciat erectioris animi, & Poëticen a supremum culmen etiamnum non fuisse perductam. Patriæ honori, alinæque vestræ matris, quæ suo gremio tantam genuinam & generosam sobolem fovet & complectitur, imo virtutis & literaturæ incitamento id non denegabis neque importunitati votisque amicissimi tui,

Dabam Sterlini, 27. Decemb. 1672. GUL. CUMIN.

Ejus

si Latinâ, quâ solutâ quâ legibus adstrictâ oratione, quatenus ac decies variaret, adeoque Humaniorum Literarum in Academia Edinburgena Professionem, publicæ disputationi antea octoginta ferè annos subiectam, merito suo consequeretur, cederis omnibus candidatis optimo suo jure prælatus. Ceterum rarâ illorum temporum, quibus suus merito constabat honos, felicitatem satis admirari non queo. Atque utinam quidem hodie eadem fierent! Sed id fuit scilicet seculum aureum, hoc verò ferreum aut luteum, aut si quid his pejus, quo omnia contrâ evenire, in deteriusque ruere (iis nunc moribus, proh dolor! vivitur) incipiunt. Sed ad rem. Hujus porro doctissimi viri Gulielmi Cuminii, Joannis, Domini de Relugas in præfectura Moraviensi, filii nata secundi, Jacobi fratris natu maximi nepos, familiæ heres, vir reverendus, D. Patricius Cuminius, verbi Divini apud Edinburgenses Minister dignissimus, doctissimusque in Academia Edinburgena Theologiæ atque Historiæ Ecclesiasticæ Professor Regius, ac Concionator cum primis facundus, munus geminum summa cum dignitate ac secunda existimationis fama sustinet. Idem vir clarissimus inter principes hujus libri Editionis auctores atque procuratores, merito suo, serò sed serio, grato animo beneficiique memore nobis hic commemorandus venit.

iusdem viri clarissimi Thomæ Belli de eodem Gulielmo Stuarto Ochiltrio Testimonium. ‡

OSTquam nobilissimus hujus carminis auctor, summâ Phœbi industriâ ad Poësin factus & informatus, Musque propitiis natus, suâ sponte, aut nostro Præceptorum monitu, themata subinde multa præclarè tentaverat, ausus est tandem non sine Dîs animosus puer se rebus virisque magnis miscere, & in divinis Musarum choreis, ducente BUCHANANO, restem sequi: quo successu, quâ ingenii laude, & spei effulgentis lucē te arbitrum appello. Sunt hæc neffis uberiōris primitiæ, hæc victimæ polluctæ prima libamina, hoc operis, quod molitur, perfecti specimen antecedaneum. Deus Opt. Max. indulgentiâ largus, pulcerinum sanguine & cognomento regio ornamentum, certissimum rei literariæ præsidium, suum Musis delictum, nobis, scholæque nostræ dulce rarumque decus diutissimè conservet, melioribus uti fatis det, opibus maectet, proberet.

T. B.

*In Thomæ Belli librum, cui titulus Roma restituta, Gulielmi Stuarti Ochiltrii carmen **.

Musa stupet, trepidisque premit præcordia fibris,
Antiquum lustrare decus: seu bellicus ordo
Progreditur, molesve tumet speciosa theatri,

Sive

‡ *Exquisitæ hujus viri clarissimi, Philologiæ quoque in Academia Edinburgena Professoris olim dignissimi, eruditio-
nis luculentum exstat testimonium, liber ab eo compositus ed-
itusque, cui titulus Roma restituta: sive Antiquitatum
Romanarum Compendium absolutum: opus doctissimum,
studiosæque juventuti utilissimum, tum in Scotia, tum apud
exteras etiam regiones, typis non semel commissum. Exstat
in id ejusdem Gulielmi Stuarti Ochiltrii carmen profectò non
inelegans, istius operis excellentiæ, suæque simul venæ poeti-
cæ haud obscurum argumentum, quod propter loco hic indi-
gnum haud existimavimus.*

* *Nobilissimus hic adolescens, summo bonorum atque docto-
rum omnium desiderio, die Februarii duodecimo, anno 1675.
in medio studiorum sub Professoribus Academiæ Edinburgenæ
cur-*

Sive triumphatis resonant Capitolia' pompis.
 Hæc oculos animosque tenent, ubi Roma refurgit
 Auspiciis rediviva tuis: ubi fronte verendâ
 Eruta fonte suo stat conspicienda vetustas.
 Quantum Roma tibi, tantum tua gloria Romæ
 Debuit, & quantum ducibus sua Roma vetustis
 Contribuit virtute decus, tantum ardua Romæ
 Cessit inexstinctis exstincta potentia fastis.
 Te poscit tua Roma, suum te Scotia civem
 Vendicat: at fortes Decios, Mariosque potentes
 Prædicat indomiti miratrix Roma Camilli.
 His patriam tutari armis, patriæque decorem
 Cura fuit: tumersa suis monumenta tenebris
 Eruis, antiquæ renovans primordia Romæ.
 His patriæ tibi surgit honos, hæc sæva vetustas
 Invidet arcanis non esse sepulta tenebris,
 Nec mortis ditione premi: sed provida virtus,
 Annorum inconcussa minis, hæc laudis avitæ
 Afferit æternis sibi consecranda trophæis.

In Thomæ Belli Romam restitutam Niniæni Patersoni carmen. †

MArtia Roma tibi stetit olim gloria bello,
 Dum tremuit fasces axis uterque tuos.
 Ardua quæ cœlo bello caput extulit olim,
 Nunc cecidit bello, vix sit ut umbra fui.

Re-

curriculo, exacto nondum ætatis anno decimo sexto, præmaturâ morte præceptus est, præcoci admodum ingenii, Musarumque studiis aptissimi, plurima specimina manifesta postquam edidisset. Ceterum, cum hoc exstincta est illustris atque antiquæ Ochiltriæ STUARTORUM familiæ dignatio.

† Glasguensis hic fuit, Verbique Divini ad Libbertonam, villam Edinburgo bina circiter millia passuum distantem, ante sexaginta fere annos Minister. Scripsit ediditque Epigrammatum libros octo, cum quinquaginta Psalmorum Davidicorum paraphrasi poetica: qui liber omnium jam manibus circumfertur passim, legiturque etiam non sine aliqua auctoris, tum ab ingenii acumine, cum carminis elegantia, approbatione.

Reliquias dominæ rerum vix cernimus urbis,
In Roma Romam quærimus, urna sui est.
Utque olim cecidit bello, quæ condita bello,
BELLO eadem tantum restitui potuit.
Dumque animas urbis doctis simulacra figuris;
Debet Roma suum jam tibi, BELLE! decus.

*R. viro, musicolæ venustissimo, D. Niniano Pater-
sono, Pastori Libertonensi, Thomas Bellus S.*

Musa mihi studium nuper, tibi gratia cordi,
Utraque germano semine nata Jovis.
Alternis nunc facta animis, ac sede novatâ,
Musa benigna tibi, gratia blanda mihi.
Mutua quæ fuerant, communia commoda fiunt,
Gratiâ dat carmen, musâque grata vicem.
Sic coalescit amor, coeunt sic fœdera rerum,
Ut ferat alterius qui sua sponte dedit.
Patrima bellipotens jubeat modò virgo, repentè
Ipse paternus ero, tu mihi BELLUS eris.
Solvisti decimas, pius es: duodena tulisti,
Te ritu Herculeo copia macta beat.

T. BELLUS.

Joannes Baird de Newbaith Niniano Paterfono S.

Plerlegi eximios oculis animoque libellos,
Ingenii admirans flumina sacra tui.
Judice me vigilem redolent operosa lucernam,
Sparsa & odoratis pictaque cuncta rosis.
Ut qui succedens doctis penetralibus hospes,
Aonidumque hortos, Hesperidumque putet,

*Joannes Andersonus D. Niniano Paterfono, suo &
Musarum alumno, S.*

Sidera multa solo, cœloque micantia nostro,
Atque salo, rutilas spargebant aurea flammæ,
Tempore quo nostri Buchananî buccina buccâ
Pieridum sonuit: quæ, dædala machina mundi
Donec erit, Latîâ resonabit maxima terrâ,
Et spatio post hunc aliquanto tempore lapso.

Proh

Proh dolor! ast ævo patiuntur lumina nostro
 Et Phœbus Phœbeque soror: jam culmina Pindi
 Rarus adit famulus Musarum: Aganippidos undæ
 Rarus adit latices: paucos jam numine sacro
 Delius inspirat, neque dantur præmia vati:
 Ut meritò Naso studium sine fruge vocârit,
 Quodd comes est malefuada fames, & turpis egestas.
 Sacra diu Clarii cum sic disperta jacerent,
 Ecce! PATERSONUS soboles peramata camœnis
 Exoritur, miseratus eas: & vindice dextrâ
 Ac facili calamo, moribundas arcet ab orco.
 Ne pudeat, NINIANE! tui, sed mactæ laboris,
 Magna Panomphæi referes mysteria quamvis:
 Hoc itidem fecêre olim non lumina pauca,
 Quæ dum clara dies, seu numina clara nitebunt.
 Nec pudeat natale solum quæ Glasgœ, cujus
 Ubera suxisti roseis pergrata labellis.
 Te quoque Castalidûm se tanto jactet alumno
 Nostra domus, tibi quæ Phœbi penetralia pandit.
 Jamque vale, auspiciis currat felicibus, opto,
 Quod meditaris opus: faveat, foveatque, precamur,
 Partus ingenii quicumque revolvat acuti.

D. Niniano Paterfono, Poëtæ celeberrimo.

Pleridum auxilium poscebam ab Apolline & artes,
 Vate PATERSONO ut carmina digna darem.
 Assensere omnes, respondet Delius ipse,
 Sufficit ipse ausus, materiamque dabit.
 Illi (nam meus est) donavi munera, & artes:
 Musarum solus sceptrâ secunda geret.
 Hinc liber hic exstat musis & Apolline dignus,
 Omnibus ut possit non sine fruge legi.
 Hic liber est hortus sophiæ, dulci utile miscet,
 Lectoris vario tædia flore levat.
 Ergò, animum ut recrees, & turpia tædia pellas,
 Volve PATERSONI carmina, lætus eris.
 Denique cum decies perlegeris omnia, dices
 Certè iterum decies sunt ea digna legi.

JOANNES BRUNUS Ecclesiæ Baroensis Pastor.

D. Hen.

*Henrico Henrifono, Medico & Poëtæ celeberrimo, Ninianus Paterfonus V. D. M. S. **

Henrifone! duplex cui circum tempora laurus
 Floret, utrumque cui præstat Apollo decus:
 ve Machaoniam pofcant contagia dextram,
 Seu placet argutæ pleëtra movere lyræ.
 publica morborum requies, laus prima medentum,
 Ægrorumque falus, præfidiumque cluis.
 Buchananæis certat tua mufa camcænis,
 Aptat ut Ifacidæ pleëtra Latina lyræ.
 atis Idumæos mifcent Stygiosque triumphos
 Et medici, doctæ fic monumenta manus.
 medicina artus, fanetve poëtica mentem,
 Nulli equidem vitæ fanior ufus erit.
 c radiant geminâ viventi tempora palmâ,
 Claraque defunçto deftinet astra Deus.

*obitum Archibaldi Pitcarnii Scoti, Medicorum
 fui feculi facilè Principis, qui fatis conceffit X.
 Kalend. Novembris, anno æræ Chriftianæ vul-
 garis MDCCXIII. Ætatis fuæ LXI.*

Quid frustra erepti fatis quæramus, amici,
 Pitcarni meritis carmina digna dari?
 um Mufæ Charitesque omnes comitentur ademptum,
 Et tantæ cladi fe fupereffe negent.
 quallidus & vatum genitor, Medicæque repertor,
 Abnuat ipfe fuam Delius almus opem.
 Sed neque jam doctas opus implorare fiores,
 Irrita vel Clario fundere vota deo:
 Te tua, Pitcarni! celebrant, te, maxime vatum!
 Carmina Mæoniis æquiparanda modis:
 Quæ te Pegafæâ tollunt fuper æthera pennâ,
 Nec nifi cum mundi funt peritura rogo.

c *

Hæc

* *Hujus viri clariffimi ex filia in nepotem, natalibus ac probitate juxta confpicuum, D. Joannem Clerk de Pennycook, Equitem, Regii Scaccarii ex Baronibus unum, eundemque digniffimum, hereditario jure transfufa eruditio eft.*

Hæc licet insignis tibi laus, ac propria, magni
 Ingenii pars est quantula at illa tui?
 Namque sui natura parens penetralia regni,
 Et vasto pandens munera clausa sinu,
 Quæ priscos latuere Sophos, latuere recentes,
 Condi uno voluit pectore cuncta tuo.
 Cumque prius foedis vinclis Medicina jaceret
 Obruta, barbariem sævaque fata gemens,
 Auspiciis rediviva tuis, fastigia tollit
 Ardua, & excusso libera colla jugo.
 Ac velut Eois lotus modo Lucifer undis
 Cum ruit, aut niveis Cynthia vecta rotis,
 Destituit stellas alias sua lux: ita postquam
 Emicat ingenii flamma benigna tui,
 Amittit decus omne Cous, decus omne Galenus,
 Nec retinet faciem cetera turba suam:
 Cuique alii cessare omnes, Bellinius ingens,
 Jam minor, & primum dat tibi jure locum.
 Verùm O! immenso defunt sua verba dolori!
 Mortis iter solitus rumpere, morte cadis.
 Ergo vale, lux Scotigenùm! Princepsque Medentùm!
 Musarum columnen deliciæque! vale.

THO. RUDDIMANNUS

Ad Pitcarnium morientem.

Quid te, Pitcarni! juvat has nunc linquere terras,
 Atraque Tartaræ tecta subire domûs?
 Nobis parce, precor: morienti parcere mundo
 Tune velis? fugias: nemo superstes erit.
 Linquere nos si stat, ne sit mora longa precamur.
 Ast, ah! ah! paucis fas revocare gradum.

Pitcarnius respondet.

Terras purgabam monstris: fatalia terris
 Monstra Erebi in sedes nunc domiturus eo.
 Me jugulante cadent immanis Cerberus, angues
 Atque Medusæi, nulla & Erinnyes erit.
 Orpheus hîc silvas duxi, fluviosque moratus:
 Orpheus & manes voce lyræque ciam.

syphus haud saxum versabit, & ociùs urnas
 Belides abjicient, Æacus ipse suam.
 de tropæa ferens, superas evectus ad auras,
 Æthera conscendam: Juppiter æquus erit.
 is mistus superis spumantia pocula ducam:
 Junia Pitcarno sidere stella cluct.
 hinc Fergusiadas spectabo lumine læto,
 Atque Caledoniis usque favebo meis.

JO. KER.

*Confessio fidei ejusdem Archibaldi Pitcarnii, die
 25. Decembris, anno 1712.**

HAc Christus jussit se nostram sumere formam,
 Ipse hominum Rector, Filius ipse Dei.
 Ac homines jussit mortales esse beatos,
 Qui Patris vellent, qui sua jussa sequi:
 Ista sequi, quæ ille Pater, quæ Filius ille
 Vos homines fecit, semideosque viros.
 Atque alii voluit faciendum quod sibi vellet,
 Atque numisma tui Cæsaris esse suum.
 Ac te, Christe! die natus Pitcarnius olim
 Auspice, Te coluit, Te colit, atque colet.

A. P.

Illatio ex confessione Pitcarnii.

HÆc tua, Pitcarni! fidei confessio Christi,
 Viva fides fuerat, quod benefacta probant.

C 2 *

For-

* Hujus viri celeberrimi Psalmi CIV. paraphrasis poeti-
 sub Gualteri Danistonii, Ludimagistri Musselburgensis,
 mine, ita volente tum Pitcarnio, ante quadraginta annos
 dinburgi fuit impressa. Danistonii autem non fuisse, e-
 sdem paraphraseos exemplar accuratius (cui proinde postre-
 am auctoris manum accessisse credibile est) inter selecta alia
 atis cultissimi ante duodecim annos Edinburgi excusa poe-
 ata quod comparet, indicium præbet manifestum. Ceterum,
 riptis suis eruditissimis, per ora hominum toto orbe volitanti-
 s, celebre adeo indeptus est nomen Princeps ille Medentum,
 plura de eo hic adjicere supervacaneum omnino sit.

Fortunis inopes, ægrosque levare medelâ
 Promptus eras, tristes aut hilarare jocos.
 Non sapit hæcce fides Arii, nec dogma Socini,
 Sanguinei praxin neve rebellis olet.
 Hæcce fide ductus didicisti Cæsari, & Iro,
 Et dare cuique suum, temnere & orbis opes.

Epitaphium.

ECce! Mathematicum, Vatem, Medicumq; Sophum
 Pitcarum magnum hæc urnula parva tenet.
 R. CALDER.

*In obitum dolendum Archibaldi Pitcarnii, qui obiit
 Edinburgi 23. Octobris 1713. anno ætatis
 61. Patre superstite.*

QUantum jacturæ fecit Medicina, Mathefis,
 Et Sophia, & Musæ, te moriente, novem:
 OEnotrii narrent, Galli, tum Belgica tellus,
 Angli, Germani, & patria mœsta tua.
 Pythagoræ Samii plus certo dogma videtur,
 Corpore multæ animæ nam coiére tuo.
 Geber & Euclides, Plato, Syracusius ille,
 Mæonides, Flaccus cum Cicerone, Maro:
 Hippocrates, Chiron, Podalirius atque Galenus,
 Convenère animæ centro habitare tuæ.
 Rimando magni & parvi penetralia mundi,
 Scrinia naturæ, te referante, patent.
 Tu conclamatas animas ex faucibus orci
 Cogebas proprias sæpè redire domos.
 Lassabas Lachesi nendo, Clothoque sororem
 Tu nova cogebas addere pensa colo.
 Hanc mortem gaudet durâ cervice rebellis,
 Atque Deum fictâ gens pietate colens.
 Sed vulgus, procures, princeps & turba sophorum,
 Artes & linguæ, te moriente, dolent.
 Musa stupet, morbique vigent, mors atra triumphat,
 Ex quo tu letho victima grata cadis.
 Plura recludemus, vir ornatissime! de te,
 Astræa his terris quando redibit ovans.

D. Davidi Drummondo, Edinb. 25. Decemb. 1713.

NAtalis Christi, lux felicissima mundo,
Te cum Pitcarno protulit illa dies.
Nexus amicitiae vestrae, Drummonde ! juvabit
Pitcarni manes hâc memorare die.
Multa stylo obscuro Pitcarnus carmina scripsit,
Perspicuo calamo ast adserit ille fidem.

In mortem Archibaldi Pitcarnii, M. D.

SCOTIA te raptum dolet, æternùmque dolebit,
Grande Sophôn, Medicùm, Castalidùmque decus !

Insigne hoc elogium, quod alicubi Pitcarnio adscriptum animadverti, de magno illo Medico, coronidis loco, hîc adjicere baud absurdum visum est.

Nec ineptè de eo adfirmari potest, quod de alio Medico, his verbis: Salvete Parcæ! quæ parcè vitam Medico nevistis, ne parcere videremini. Nimio plus jam vixerat: sexagenarium opportunè de vita dejecistis: qui si vixisset diutiùs, sanitas mortalis prope immortalis fuisset. Invidebat scilicet manes Superis, Charonti naulum, Plutoni umbras, Libitinæ pompas, præficis planctus, polinctoribus unctiones, vespillonibus funera, sandapilariis feretra, designatoribus ordines, tibicinibus nœnias. Reddidistis singula singulis, omnibus omnia. Nunc, abeunte Medico, febris exsul reditura est, sanitas ægrotabit, jacebunt remedia, morbi in regno erunt, vitæ invitæ morientur. Salvete iterum Parcæ! quæ salvum vultis neminem: vobis de hoste spolia opima referre licet, nec jam Feretrio, sed feretro dedicare.

Hanc paraphrasin poëticam Psalmi CIV. clarissimi viri D. Thomæ Hopæi de Craighall, Militis Baronetti, Advocati olim Regii serenissimi Britanniarum Monarchæ, CAROLI I. suo prætermisam loco, hîc, alieniore licet, omninè quàm prætervehere, exhibere satius visum est, lectorum scilicet commodo atque voluptati consulentes. Ceterum,

terùm, hæc paraphrasis excerpta est ex ejusdem viri Cl. codice Psalminorum MS. exarato sub annu-
1617. penes Bibliothecam Juridicam Edinb.
Serenissimo CAROLO, Scotiæ & Valliæ Principi.
Psalminorum & Cantici Canticorum Dedicatio.

M Axime, in heroo, Princeps! cape carmine sacras
Jefliadæ, Ifacidum Regis Pfaltisque, camœnas :
Hymnumque hymnorum, quo suavi ænigmate castos
Rex Jedidija canit sponſi sponſæque hymenæos :
Non phraseologiæ sub liberioris amictu,
(Quo genere à multis, quos inter SCOTIA palmam
Præripuit, venæ non poſt imitabilis æſtro :)
Fontis at Hebræi purâ præeunte figurâ,
Hincque ſtyli ad Latii ſtriſſam (quâ quibat) amuffim,
Abſque peregrinæ fuco faſtue loquelæ.
Utreqque his ergò quo fine exſcripta, foveque
Jugiter ; ut, Jovæ hîc verſans ſub lumine, poſtquam
Sis ſceptro ſatiare brevi, potiare perenni.

*Pſalmi Davidis Regis CIV. paraphraſis poetica :
Auctore Cl. viro Thomâ Hopæo de Craighall **

O Anima! elogiis mea Jovam tolle ſupremis.
Summe Deus! multâ es tu majeſtate verendus,
Teque decor, radiiſque micans te gloria cingit.
Se roſæ Altitonans lucis veſtivit amictu,

Si-

* Hic vir clariffimus non Poeta ſolùm ſummus, quod Pſal-
minorum Davidicorum, Canticique Solomonis carmine heroico
elegantiffimo paraphraſis poetica, luce proſeſſò digniſſima, lu-
culentiſſimè teſtatur, verum Jurisconſultus etiam eximius,
prudentiſſimusque exſtitit: cujus rei præter alia manifeſtum
exſtat indicium, in id argumenti ab eo olim conſcriptus liber,
nuperrimèque in lucem datus. Ceterùm, Gallum hunc o-
rigine accepimus, quæ res à vero non abludere videtur: ejus
ſiquidem poſteri, in plures ſplendidiſſimas propagati familias,
(quas inter primas facilè obtinet nobiliſſimus Hoptoniæ Comes,
inter Scotiæ Nobilitatis Heroes, tum ingenii tum divitiarum
copiis, haud poſtremi certè nominis) Gallicæ gentis civilitatis,
morumque elegantie tenaciſſimi, vividoque etiam ejusdem

videreumque velut velo diffudit olympum :
 Et sua cæruleis cœnacula fixit in undis,
 Ethereoque sedens vehitur per nubila curru.
 Ventique aëriis gradiens fecat æthera pennis,
 Aligerisque suis dat diûm munere fungi
 spirituum, & famulis sua jussa capeßere flammis.
 Telluremque suâ libratam mole columnis
 Adstruxit solidis, quæ nullo mobilis ævo est.
 Hancque, velut vestis, velo coperibat abyßus,
 Undæque excelsos superabant culmine colles.
 At simul increpitas fugiunt, vocemque tremendo
 Ut tonitru ingeminas, subitò in sua septa faceßunt :
 Visique exserto se vertice tollere montes,
 Etque sibi fixam valles subsidere sedem.
 Ontoque imposuit, nequeat quas scandere, metas,
 Ne refluis iterum tellus stagnaret ab undis :
 Effluitque è vivis emergere flumina lymphis,
 Quæ, juga celsa inter, leni se murmure volvant :
 Hincque pecus bibit omne, almis quod pascitur arvis,
 Hincque litim filvis onagri, secus invia, sedant.
 Cum volucres, levibus quæ tranant aëra pennis,
 Hic sua per medias edunt modulamina frondes.
 Aëriosque rigat cœlesti flumine colles,
 Lætæque multiplici satiatur semine tellus :
 Unde pecus carpit viridis nova pabula scœni,
 Atque olus humanos geniale adsurgit in usus,
 Equæ solo prodit vitalem panis in escam,
 Poclaque jucundi recreantis pectora vini,
 Quicque hilarat vultum fœcundi succus olivi,

Cor-

ingenii acumine, in hunc usque diem, ad unum omnes prædi-
 ci, conspicuique admodum visuntur. Porro, tam piâ doctâ-
 que exercitatione, (quam otii benè impensi oblectamenta vocî-
 are ipse solebat) Psalmis nimirum Davidicis Latino carmi-
 ne vertendis, horas subsecivas idem vir præstantissimus quin-
 aptimè collocaverit, adeoque virorum etiam maximorum per-
 lignum imitatione exemplum posteris reliquerit, nemo, cre-
 do, sanus mortalium inficias iverit. In eum præterea cultis-
 simum exstat Arcturi Jonstoni carmen, cujus initium, Ma-
 xime Phœbigenum! &c. quod antea exhibuimus. Deni-
 que, hoc ut obiter moneam, hæc est decima Psalmi CIV.
 Paraphraseôn Poëticarum, quæ hoc nostro sacrorum carmi-
 num in delectu exhibentur, à totidem Scotis concinnatæ.

Cordisque effœtas renovantia munera vires,
Jovæque arboribus genitalis copia succi
Sufficitur: Libanumque cedris frondentibus ornat,
Nidus ubi alitibus, latitatque ciconia densis
Inclusa abietibus, suaque hîc tentoria figit.
Suntque capris colles latebræ, rupesque cuniclis:
Et stata sunt lunæ sua tempora, solque per orbem
Vergit in occiduas constanti tramite metas.
Inde ruunt tenebræ, noxque atra incumbit olympo,
Prorepuntque feræ latebris, catulique leonum
In prædam rugiunt, escamque à numine poscunt,
Moxque suas repetunt, exorto sole, cavernas.
Inque vicem subeunt hominum cum luce labores,
Incumbuntque operi, redeat dum vespër olympo.
O quàm, Jova! tuæ sunt gesta ingentia dextræ!
Quàmque hæc consilio sapienti cuncta creasti!
Unde opibus satiata tuis stat terrea moles,
Undeque laxa fluunt spatiosi murmura ponti:
Turbæ ubi squammigeræ natat innumerosa propago,
Parvaque ubi degunt immixta animantia magnis,
Estque ubi veliferis cursus statioque carinis,
Effinguntque suos ubi cete immania ludos.
Omniaque à te uno pendent, teque omnia poscunt,
Cuique suum proprio tribuas ut tempore victum.
Tuque ut das accepta ferunt, dextramque benignam
Te pendente tuam, donis satiantur abundè.
Teque tuam rursus faciem condente, fatiscunt,
Sublatâque ruunt animâ, in cineresque recurrunt.
At simul inspiras animam, rediviva resurgunt,
Tellurisque iterum facies quæ prisca revertit.
Summa sit ergò Deo laus cuncta in secla supremo!
Inque suæ gestis dextræ Deus usque triumphet!
Ab cujus vultu tellus pavescit tremiscit,
Tactique emittunt cum fumis fulgura montes.
Ergò canam Domino, dum vitæ perfruar aurâ,
Jovamque extollam, sim quamdiu in orbe superstes.
Deque illo mea suavis erit meditatio valdè,
Inque Deo exultim jugi lætabor ovatu.
Peccatrixque ruet gens de tellure, nec ultrâ
Impia subsistet rabies: at tû mea summum
O anima! elogiis fer Jovam in secla supremis,
Omnesque excelsò canite hallelujah Jehovæ.

Poeticum Duellum :

S E U

GEORGII EGLISEMMII

C U M

GEORGIO BUCHANANO

*Pro dignitate Paraphraseos Psalmi
CIV. certamen.*

Cui adneſtitur

GUL. BARCLAI, amœniorum Artium &
Medicinæ Doct̃oris, de eodem certamine
judicium; nec non conſilium Collegii
Medici Pariſienſis de ejuſdem EGLISEM-
MII maniâ, quod carmine exhibuit AR-
CTURUS JONSTONUS M. D.

NON VIOLANDI MANES.

Subjunguntur etiam ejuſdem PSALMI aliæ Para-
phraſes Poeticæ ſex, auct̃oribus totidem SCOTIS:

*Juxta optima quæque earundem Paraphraſeôn ex-
emplaria expreſſæ.*



EDINBURGI:

Apud THO. & WALT. RUDDIMANNOS, 1739.

GULIELMI BARCLAYI

A D

G. EGLISEMMIUM

EPIGRAMMA.

MUltis note diebus, Eglisemmi!
Et annis mihi valdè amate multis :
Habet me malè, non pudet fateri,
Scribendi cacoëthes hujus ævi.
Hoc te crimine liberum putâram,
Donec venerat in manum libellus,
Quo tu præcipuum Triariorum
Ad certamen es ausus evocare.
Sed oh! quot dabis omnibus, quot unis
Dabis Parisiis, amice! pœnas:
Qui non forte, sed optione, Judex,
Pararunt tibi in arce Tullianum.
Ergò opprobria temporis recanta,
Et manus dato manibus Poëtæ:
Aut in carcere quadrupes peribis.

G. BAR

G. BARCLAIUS,
MEDICINÆ DOCTOR,
GEORGIO EGLISEMMIO,

Medico Regio, amico suo
 S. P. D.

Salvos, materiem publicam, & in medio positam, poëticâ paraphrasi expressit eleganter Buchananus, poëta, si temporis, si sermonis ratio habeatur, interioris notæ. Ante eum, idem argumentum aliquot, post eum, plurimi tractaverunt. Nemo tamen inventus est, qui auderet parum cum eo de lauro contendere, præter te, amice Egliemmi! cujus versus tam cupide legi, quàm incautè scripsisti: expectabam ab illo ingenii tui arvo molles violas & purpureum narcissum: sed ut video;

Carduus & spinis surgit paliurus acutis.

Succenseo, nescio an dicam, temeritati tuæ; sed succenseo tibi, in medio Doctorum, in conspectu doctissimi Principis, uso revocare in arenam jam diu rude donatum, & quasi venundam, ut ita loquar, lanistam Poëtarum. Tuli, inenue fateor, acerbè hoc certamen, & certè sapius hæc meum, Quid dicent cis citraque Alpes Literati! Nempe,

Certent & cygnis ululæ, sit Tityrus Orpheus.

Quis non stringet in te calamum? Scotia te persequetur, ejus fuit proles; Parisini exhibilabunt, quorum fuit alumnus; Burdegalenses deridebunt, quos erudit; Quid te fiet?

Cui neque apud Danaos usquam locus; insuper ipsi Dardanidæ infensi.

Censeo (ut primus omnium eruditorum impetus comprimitur) carmen tuum domi verbis, non dicam verberibus, castigandum. Sic sine dolo malo exteri minus duriter te excipient. Hoc officii genus, ego verò, ac lubens suscepi, & tuâ, & patriæ, & poëtæ causâ. Carmen tuum ergo reddam incudi, te, ut decet, & ut debeo, multum amabo. Vale.



PARAPHRASIS

PSALMI CIV.

Auctore GEORGIO BUCHANANO.
Præceptore Regio.

- T**Ererum, Deus alme! canam Dominumq; Patremq;
Magne Parens! sanctâ quàm majestate verendus
Ætheris æternas Rector moliris habenas!
- 2 Te decor, auratis ambit te gloria pennis,
Et circumfufum vestit pro tegmine lumen.
Tu tibi pro velo nitidi tentoria cœli,
 - 3 Et liquidas curvo suspendis fornice lymphas :
Et levibus ventorum alis per inania vectus,
Frenas ceu celeres volitantia nubila currus.
 - 4 Apparent accinctæ auræ flammæque ministræ,
5 Ut jussa accipiant. Stat nullo mobilis ævo
Terra, super solidæ nitens fundamina molis,
 - 6 Pollenti stabilita manu : terra obruta quondam
Fluctibus, ut fuso super ardua culmina velo :
 - 7, 8 Sed simul increpuit tua vox, tonitruque tremendo
Insonuere auræ, paullatim adscendere montes
Cernere erat, sensimque cavas subsidere valles,
Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas.
 - 9 Neve iterum immissa tellus stagnaret ab unda,
Limitibus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas.
 - 10 Tum liquidi fontes inis de collibus augent
Flumina, per virides undas volventia campos :
 - 11 Unde sitim sedent pecudes, quæ pinguia tondent
Pascua, quique feris onager saxa invia silvis
 - 12 Incqlit: hîc levibus quæ tranant aëra pennis,



PARAPHRASIS

PSALMI CIV.

Auctore GEORGIO EGLISEMMIO,
Medico Regio.

MEns, age! depositâ curarum nube, canoras
Pange Deo laudes. O inviolabile numen!
Imperio penetrans magni sacraria mundi,
Te niveæ cinctum radianti lucis amictu
Splendor, & aurato velamine gloria vestit.
Tendis ut auleum rutili flammantia cœli
Culmina, mobilibus cœnacula ponis in undis.
Temonēs densisque rotas è nubibus aptans.
Ventorum alato peragras sublimia curru.
Servitum properat flamma comitante voraci
Spirituū pennata cohors. Ne sedibus umquam
Pulsa datis abeat tellus, compage solutâ,
Libratur gravitate sui; ceu veste fluenti
Alta supersuso velante cacumina ponto,
Delituit quondam; tua vox ubi sacra profundum
Increpuit, tonitruque poli sonuere fragosa
Murmura, præcipites fugiunt in cœrula fluctus.
Conspicui nudata levant fastigia montes,
Subsidente cavis humili cum vallibus agro,
Labitur ad præscos aqua per declivia fines,
In varios collecta sinus, transvolvier illinc
Nescia, plangendo resonantia saxa laceffit,
Ne liquido rursus latitet sub marmore tellus.
Fontibus è nitidis valles, argenteus, implet
Per tumidos rivus flectens vestigia colles.
Libabit latices campis quæcumque vagatur

- Per virides passim ramos sua tecta volucres
 Concelebrant, mulcentque vagis loca sola querelis.
- 13 Tu, Pater! aërios montes, camposque jacentes
 Nectare cœlesti saturas, fœcundaque rerum
 Semina vitales in luminis elicis oras.
- 14 Unde pecus carpat viridis nova pabula fœni:
 Unde olus humanos geniale assurgat in usus:
- 15 Quæque novent fessas Cerealia munera vires,
 Quæque hilarent mentes jucundi pocula vini,
 Quique hilaret vultus succus viridantis olivi.
- 16 Nec minùs arboribus succi genitabilis humor
 Sufficitur: cedro Libanum frondente coronas,
- 17 Alitibus nidos: abies tibi consita surgit,
 Nutrit ubi implumes peregrina ciconia fœtus.
- 18 Tu timidis montes damis; cava saxa dedisti,
 Tutus ut abstrusis habitaret echinus in antris.
- 19 Tu lunæ incertos vultus per tempora certa
 Circumagis: puroque accensum lumine solem
 Ducis ad occiduas constanti tramite metas:
- 20 Inde superfusus cuncta involventibus umbris,
 Per tacitas spargis nocturna silentia terras.
- 21 Tum fera prorepat latebris, silvisque relictis
 Prædator vacuis errare leunculus arvis
 Audet, & è cœlo mugitu pabula rauco
- 22 Te Patrem exposcit: dein rursus, sole renato,
 Abditur occultis prædatrix turba cavernis:
- 23 Inque vicem subeunt hominumque boumque labores,
 Donec fera rubens accendat lumina vesper.
- 24 Sic, Pater! in cunctos didis te commodus usus.
 Nec tantùm tellus, Genitor! tua munera sentit,
- 25 Tam variis fœcunda bonis: sed & æquora ponti
 Fluctibus immensas circumplectentia terras,
 Tam laxo spatiosa sinu: tot millia gentis
 Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia caudâ
- 26 Exsultant: tot monstra ingentia & horrida visu
 Veliferas circum nant puppes: grandia cete
 Effingunt molles vitreo sub marmore lusus.
- 27 Atque adeò quæ terra arvis, quæ fluctibus æquor
 Educat, à te uno pendent, Pater optime! teque
 Quæque suo proprium possunt in tempore victum.
- 28 Te magnam pandente manum, saturantur abundè
 29 Omnia: te rursus vultum condente, fatiscunt.


Tellua, qui filvis onager se tristibus abdit
 Eximat ille sitim: volucris quæcumque strepentæ
 Terbere pennarum vacuas nitetur in auras,
 Hospitio frondente toros structura loquaces,
 Mulceat hic vocum tremulo discrimina cantu.
 Ambrosio montes irrorant astra liquore,
 Muneribus satiata tuis, pecorique virisque
 Aptas obsequiis, alimentis dulcibus aptas.
 Promit humus teneris gemmantes floribus herbas,
 Pampineos animis nectentes gaudia succos,
 Et baccas oleæ fragrantis ut ora serenent,
 Et Cererem valido firmantem corda vigore.
 Arboreos factus, tineis impervia cedri
 Robora tu saturas, Libani quæ confita celso
 Vertice, progeniem volucrum nidosque tuentur.
 Nec minùs est felix abies, hæc vimine texta
 Pendula castra novat clangente ciconia rostro.
 At lepori silices, pavidis juga senta recessum
 Concilias damis: constanti temporis ortu
 Inconstans lunare decus renovare figuras,
 Occiduoque jubes pelago decumbere solem.
 Tectâ soporiferos piceâ caligine vultus
 Nubila diffundis tacitam ducentia noctem.
 Proruit interea speluncis acre ferarum
 Agmen, & auxilium cœleste leunculus escam
 In prædam exorans, rugitibus æthera pulsat.
 Sole recens orto latebrosis invia dumis
 Antra subit: remeant alacres ad plaustra coloni,
 Donec purpureus det sera crepuscula vesper.
 Sancte opifex! quanto moliris cuncta decore,
 Consilioque struis! Moles terrena tuarum
 Dives opum exsultat; latè circumsonat ingens
 Oceanus; seu parva lubet, seu magna ciere
 Corpora squamigerum, vitreâ complectitur alvo
 Innumeras pinna fluitantes remige turbas.
 Pandentes levibus naves cita carbasa ventis,
 Marmoreoque sinis balenas gurgite passim
 Carpere jucundos placido molimine saltus.
 In te, summe Parens! hæc inclinata recumbunt
 Omnia, temporibus victum poscentia certis.
 Te dante accumulans, dextram laxante renident
 Exsaturata bonis, vultum celante pavescent.

- Te tollente animam, subito exanimata recurrunt
 30 In cinerem: inspirante animam te denuò, surgit
 Illicò fœcundæ sobolis generosa propago,
 Et desolatas gens incolit aurea terras.
 31 Sic eat! ô nullo regnet cum fine per ævum
 Majestas divina: suumque in secula lætus
 32 Servet opus Deus! ille Deus, quo territa tellus
 Concutiente tremit, montes tangente vaporant,
 Fumiferâ trepidum nebulâ testante pavorem.
 33 Hunc ego, dum vivam, dum spiritus hos reget artus
 34 Usque colam: tantum ille meas facilisque bonusque
 Accipiat voces: nempe illo oblector in uno.
 35 At verò impietas planè extirpetur ab ima
 Radice, & scelerum stirps nulla repullulet: ac nos
 Te rerum, Deus alme! Patrem Dominumque canemus



*Vitales rescecante moras animæque nitorem,
Protinùs in tenuem vertuntur pulveris umbram.
Adperso rediviva tuo spiramine surgunt,
Squalentique redit facies latissima terræ.
Compleat æterno venientia secula plausu
Fama Jovæ! Caras operum monumenta suorum
Delicias Rex usque vocet, cui visa repenti
Terra tremit: rupes, tactâ radice, vacillans
Exsudat refugos dorso fumante vapores.
Carmen erit Deus iste mihi, quoad ultima vitæ
Linea succedet, mihi pars quoad ulla superstes,
Illi sacra canam memori præconia cultu.
Dulce melos meditatus ei, letabor eodem:
Rapta sed in nihilum terras gens prava relinquat.
Pange Deo laudes positis mens libera curis!*





GUL. BARCLAY

Amœniorum Artium & Medic. Doct.

JUDICIUM

DE

Certamine Poetico G. EGLISEMMI
cum G. BUCHANANO,

Pro dignitate Paraphraseôs

PSALMI CIV.

V A T A B L U S.

BENEDIC, Anima mea! Jehovah: Jeho-
va Deus mi! magnificatus es vehemen-
ter, gloriam & honorem indutus es.

BUCHANANUS.

*Te rerum, Deus alme! canam Dominumque Patremque.
Magne Parens! sanctâ quàm Majestate verendus,
Ætheris æternas Rector moliris habenas!
Te decor, auratis ambit te gloria pennis.*

Poëtarum nostri seculi longè Princeps, elegantissimus
Buchananus, cùm superasset æquales suos omnes, & plu-
rimos majorum, ceteris poëmatis, hoc tandem poëmate
superavit seipsum. Cos ingeniorum, Poëtarum lima, Ju-
lius

ius Scaliger sic judicavit, & judicium limatissimo Epigrammate pronunciavit:

*Felix Georgi! lacteæ venæ Pater,
 Quæ ditat immensum mare.
 Quid Barbarorum voce squalentem absônâ,
 Merisque nugis oblitum,
 Inepturientem non ferendis artibus,
 Audire memet postulas?
 Plectrumne Phœbo temperante, Marsyas
 Tentabit ictum pollicis?
 Amabiles Thalia si faciat modos,
 Garrire pica gestiet?
 Te natum ad alta Pegasi cacumina,
 Tepente susceptum sinu,
 Regina sacri magna Calliope soni
 Liquore non noto imbuît:
 Deditque palmam ferre de tot gentibus,
 Latina quot colit cohors,
 Puris beatâ voce tessellis nitor
 Perstringit aures candidas,
 Flexuque ducta vena dulcis aureo
 Quam sustulit, iterat sitim.
 O me superbum mole sublatum novâ,
 Te Literatorum Deo!
 Desideratum abesse me, ut scribis doles,
 Quod aliquid esse me putes:
 Te te ipse contemplator, in quo cuncta sunt,
 Et vota lenies tua.*

Vulgò cantatum breve carmen Caroli Utenhovii, sed acutum, sed acceptum, tollit omnem spem æquandi gloriam Buchanani:

*Tres Italos Galli senos vicere, sed unum
 Vincere Scotigenam non potuere novem.*

Tres Galli, Michael Hospitalius, Franciæ Cancellarius, Adrianus Turnebus, Regius Græcarum Literarum apud Gallos Professor, Joannes Auratus, Poëta Regius. At qui viri? Soles sui soli. Sex Itali, Accius Sincerus Santhazarius, Hieronymus Fracastorius, Doctor Medicus, Marcus Antonius Flaminius, Marcus Hieronymus Vida, Andreas Naugerius & Petrus Bembus Cardinalis. Quæ lumina? Lunæ sui cœli. Horum nomina potuissent deterre vulgare ingenium.

Ad rem. Hæc paraphrasis, non Latina solùm, non solùm concinna, & cincinnis plena Poëtarum, sed tam Divina, tam Theologica, tam curiosè copiosa est, ut pauci Commentatorum clariùs aperuerint mentem Prophetæ Examinemus singula.

Benedic, Anima mea! Jehovah. Animat, ut ita dicam. Animam suam Propheta ad benedicendum, mox excitat alacritate Anima prorumpit in hæc verba, *Jehova Deus mi! magnificatus es vehementer.* Quid? Potestne major fieri Deus? Minimè gentium; sed apud homines tanto major fit, quanto notior ex operibus. Hæc omnia fusè facilèque exprimit Poëta:

Te rerum, Deus alme! causam Dominumque Patremque.

Quoniam ineffabile nomen quatuor literarum, quo utitur Propheta, exprimi non potest ullâ aut cogitatione, aut voce: sapientissimus Poëta quatuor ponit epitheta, *Deum, Aluum, Dominum, Patrem.* Pergit:

Magne Parens! sanctâ quàm Majestate verendus!

Majestas enim à magno dicitur: & qui tam magnus est, ut dici nequeat, certè verendus est ob Majestatem, & confessione ignorantiae cognoscendus. Ob quam fortassè causam, Græca translatio ἐξομολόγησις, id est, confessionem subjungit.

Ætheris æternas Rector moliris habenas!

Huic versui in textu quod respondeat, non est quidquam apertè positum. Sed ut nomen Jehovah toties repetitum in hoc Psalmo, semel describeret multis notis; tandem vocat hîc *Rectorem*: aut certè hoc versu illustrat ea verba, *magnificatus es vehementer!* quoniam major fit Deus tantùm in cognitione nostra, quam cognitionem Cælum intuentes omnes homines capiunt.

Gloriam & decorem indutus es.

Te decor, auratis ambit te gloria pennis.

Hîc Poëta, ut graviorem Heroicum versum faceret, translationem Prophetæ & non videtur retinere, & retinet. Non videtur, quia Deum circumdat gloriæ pennis, non vestibus. Retinet tamen, quoniam verbum *induendi*, si amplè sumatur non excludit etiam pennas. Jam videamus quàm appositè:

— *Auratis ambit te gloria pennis.*

Gloria, si credimus Ciceroni, est frequens de aliquo fama cum laude. Et alibi, *Est illustris & pervulgata multo-*

um & magnorum, in omne genus hominum, fama meritorum. Ergò famæ pars quædam gloria est. At famæ quis nescit esse pennas? Superest unica ratio illustrandi armen Divini hujus Poëtæ: si subnectamus versus *Eglishamii*, ut tamquam *Æthiopes* jubeant nostrates Euros apparere candidiores.

EGLISEMMIUS.

*Mens, age! depositâ curarum nube, canoras
Pange Deo laudes.*————

Mens, age! Quantum hoc principium ab illa Majestate?

Te, rerum Deus alme! canam.————

Consulat qui volet aures, maluissem eg o,

Eia age! depositâ curarum nube.——

Quid hîc curæ? quid nubes? Propheta non suggessit, Poëta non prævit. Malum omen curarum mentio in ipso limine lætitiæ.

———*O inviolabile numen!*

Imperio penetrans magni sacraria mundi.

Inviolabile, Nec huic rei, nec huic loco convenit. Non rei: quia & Spiritus & Cœli inviolabiles. Non loco: quia toto Psalmo canitur gloria Dei ex operibus, quæ amorem excitent, non timorem incutiant, non vim, non vulnera, non violentiam loquantur, Scio *Sinonem* dixisse.

———*Et non violabile vestrum Testor numen.*---

Imperio penetrans magni.———

Hunc versum Propheta si viveret expungeret: & existimo auctorem ipsum brevi inducturum, memorem nihil tale in textu profaico inveniri.

VATABLUS.

2 Qui operit se lumine, tamquam vestimento: qui extendit Cœlum tamquam cortinam.

BUCHANANUS.

Et circumfusus vestit pro tegmine lumen.

Tu tibi pro velo nitidi tentoria Cœli.

Nota, quàm eleganter *vestiat* orationem *luminibus* eloquentiæ:

quentiæ : quàm proprè *Circumfundat lumen* : quàm doctè appellet *tentoria Cæli*, alludens ad vulgatam Editionem, ubi legitur, *Extendens Cælum sicut pellem*, quia antiquitus tentoria ex pellibus fiebant.

EGLISEMMIUS.

*Te niveæ cinctum radianti lucis amictu
Splendor, & aurato velamine gloria vestit.
Tendis ut aulæum rutili flammantia Cæli
Culmina.*—————

Si quis è discipulis meis fudisset hæc talia, certè quidem non abiisset impunitus. Nam *splendor vestit te cinctum radianti amictu niveæ lucis* : nonne idem est, ac dicas, *Splendor vestit te vestitum splendore splendoris* ?

Interpretemur candidè per synonyma; *Splendor vestit te cinctum*, id est, *vestitum* : *radianti amictu*, id est, *splendore* : *niveæ lucis*, id est, *splendoris*. Pergamus :

*Tendis ut aulæum rutili flammantia Cæli
Culmina.*—————

Nego equidem doctè dici, *Culmina Cæli* : credimusne Cælum

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen ?

Atqui si *culmen* à culmo est, ut asserunt Grammatici, non sine periculo legimus *flammantia culmina*, nisi fortasse mutuū accepit hoc nomen ab illa parte Astrologiæ, quæ judiciaria vocatur, cujus Professores Senatusconsulto saxo dejiciuntur, *Genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax*.

VATABLUS.

3 Qui contignat aquis superiora sua, qui ponit nubes currum suum, qui ambulat super alas venti.

BUCHANANUS.

*Et liquidas curvo suspendis fornice lymphas,
Et levibus ventorum alis per inania vectus,
Frenas cœu celeres volitantia nubila currus.*

Dele voculam, corrumpes sententiam : adde voculam, sententiam corrumpes. Loquitur Poëta noster mentem

Pro-

prophetæ, non circumloquitur. Examina singulatim : *spendit* ; nihil potest Latiniùs dici : *Lymphas*, ut miraculum appareat, *liquidas* ; *curvo fornice*, Quid potest nari ornatius ? Quid paucioribus clarius ?

EGLISEMMIUS.

———*Mobilibus cœnacula ponis in undis,
Temonēs, densisque rotas ē nubibus aptans.
Ventorū alato peragras sublimia curru.*

Undæ significant aquas aliquando : sed præter *Lucretium* nemo homo est, qui pluvias aquas vocet *undas* : & *le* quidem *aërias undas*, vocat nubes potiùs quàm pluvias. Quæro ex te, an aptans temones peragret sublimia ? Quòd otium aptandi paulò antè defuerit : cū solum ē, aut otiosum meritissimè nos Christiani negemus.

VATABLUS.

4. Qui facit Angelos suos Spiritus, ministros suos ignem flammantem.

Quoniam hic versus negotium faceffit Theologis, eximit Poëta sensum veterum Hebræorum, quem hausierunt à *R. Salamone*. Reliquit controversiam intactam, quam verè & eleganter diremit *Theodoretus*.

BUCHANANUS.

*Apparent accinctæ auræ, flammæque ministræ,
Ut jussa accipiant.*——

Non potuisset ipsum Latium Latiniùs loqui. Ponderemus verba. *Apparent*, Quàm propriè ? Apparitorum nomen est adesse officii causa. *Accinctæ*, hæc vox auget proprietatem præcedentis. Quàm oppidò paratæ sunt, quæ non solum *apparent*, sed *accinctæ* apparent ?

EGLISEMMIUS.

*Servitum properat, flammâ comitante voraci,
Spirituū pennata cohors.*——

Bone Deus ! quid hæ tenebræ cum illo lumine ? non sic loquebantur Romani. Non nescio *Virgilium* cecidisse,

———*Aut*

—*Aut Graiis servitum matribus ibo.*

Non facilè tamen invenies *servitum properare*: Romani properare Romam, Properare in urbem, Properare inscribere, non itum, scriptum: nullum probum auctorem habet hæc formula loquendi.

VATABLUS.

5. Fundavit terram super bases suas, nō moveat se in seculum & in seculum.

Descendit jam Poëta ab aëre in terram: in qua paulò diutius moratur, tamquam in sede hominibus, & nō tã diu, & habitatã.

BUCHANANUS.

—*Stat nullo mobilis ævo*

*Terra super solidæ nitens fundamina molis,
Pollenti stabilita manu.*

Prosa oratio, *Ne moveat se in seculum & in seculum.* Versu, *Stat nullo mobilis ævo terra.* Si Propheta fuisset Latinus loquutus, usus fuisset his verbis aut similibus. *Fundavit terram super bases suas.* Duæ causæ sunt propter quas terra tota non movetur: altera à centro petitur, in quo graviora cuncta conquiescunt: altera à jussu Dei, cujus jussa non capeßere, planè contra naturæ jus est. Ut utramque causam eruditissimus Paraphrastes complectitur:

—*Super solidæ nitens fundamina molis,
Pollenti stabilita manu.*

EGLISEMMIUS.

—*Ne sedibus umquam*

*Pulsa datis abeat tellus, compage solutã,
Libratur gravitate sui.*—

Ovidius in eadem materia iisdem penè verbis aliter proferebat,

*Nec circumfuso pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata suis. Non sui.*

Si quis ita loqueretur ex iis qui nondum ære lavantur ad Cœmeterium Divi Pauli, haud dubiè non effugerent ferulam.

VATABLUS.

6 Voragine tamquam vestimento operas eam, super montes steterant aquæ.

Familiaire fuit Prophetæ, aquam, nivem, vestibus, lanæ comparare. Alibi, *Qui dat nivem sicut lanam.*

BUCHANANUS.

———*Terra obruta quondam
Fluctibus, ut fuso super ardua culmina velo.*

EGLISEMMIUS.

———*Ceu veste fluenti
Alta superfuso velante cacumina ponto,
Delituit quondam.*——

Hic desidero gluten, quo hæc adhæreant superiori-
us. Buchananus repetitâ voce terra, eleganti figurâ,
reddidit orationem plenam. Hic, omisâ particulâ quæ
ut hæc, aut aliâ simili, reliquit in oratione abyssum,
qualem describit. Præterea vox velante, meo animo, su-
perflua est.

VATABLUS.

7 Et tamen ab increpatione tuâ fugerunt,
sonitu tonitruui tui festinaverunt.

BUCHANANUS.

*Sed simul increpuit tua vox, tonitruque tremendo
Insonuere auræ.*——

Nonnè auditur quoddam artificiosum tonitru in istis
versibus, quo Poëta ipsam quodammodo videtur adæ-
quare naturam? Audiamus jam Eglisemmium.

EGLISEMMIUS.

———*Tua vox ubi sacra profundum
Increpuit, tonitruque poli sonuere fragosa
Murmura, præcípites fugiunt in cœrula fluctus.*

Audiuntur in verbis Buchananii quasi nubes ipsæ dis-
sidentes: In istis, ————*Vox*

Auditur fractos sonitus imitata tubarum.

Certè benè cœpit currere, sed præ copia claudicavit
Virgilio, Deo Poëtarum, satis fuit Intonnuere poli. Huic,

———*Tonitruque poli sonuere fragosa*

Murmura.———

Cur non vereris

———*Crudeles dantem Salmoneæ pœnas?*

Dum flammæ Jovis & sonitus imitantis Olympi.

VATABLUS.

8 Tunc adscenderunt montes, descenderunt valles ad locum suum, quem fundasti iis.

BUCHANANUS.

———*Paulatim adscendere montes*

Cernere erat, sensimque cavas subsidere valles,

Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas.

Omni melle dulcior oratio, Indicæ succo cannæ suavior. Nescio an Romana lingua meliores umquam versus viderit. Sed obviam fit difficultas, quam scilicet portionem Psalmi exprimant hæc verba :

Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas.

Id difficultatis paucis sic infringo. Doctissimus Poëta sequutus *Francisci Vatabli* Psalmorum interpretationem; quem Parisiis Hebraicæ linguæ Professore habui summè amicum & familiarem. Itaque consulebat curiosè fontes ipsos, & linguam, quâ Psalmos cecinit Regius Propheta. Unde deducit aliquando plus sententiæ quàm appareat in vulgatis Editionibus. Tremellius hunc versum intelligit de aquis ipsis cum ait, *Conscenderunt per montes, descenderunt per valles, in locum quem fundasti ipsis.* Et non malus interpres : *Adscenderunt, inquit, montes aquarum, & descenderunt campi aquarum, dum at increpatione timentes aquæ, magno fremitu, attollunt fluctus suos, & deponunt, donec ad locum sibi paratum perveniant.* Nam & Poëta dixit,

———*Quanti montes volvuntur aquarum !*

EGLISEMMIUS.

Conspicui nudata levant fastigia montes,

Subsidente cavis humili cum vallibus agro,

Labitur

Labitur ad priscos aqua per declivia fines.

Primus hic versus potest esse cujuslibet Poëtæ: si decem fila talia intertinxissent totum hoc aulæum, fuisset lanè dignum Aulâ. Subsidit tota elegantia secundo versu, nugationeque & tautologiâ corrumpitur;

Subsidente cavis humili cum vallibus agro.

VATABLUS.

9 Terminum posuisti iis quem non pertransibunt; non revertentur ad operiendum terram.

Hic tria quærenda sunt: Quis fixit terminos maris? Deus, *Job. cap. 38. vers. 10. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi; Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* At qui sunt termini? Arena: *Hier. 5. ver. 22. Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit.* Si præceptum est sempiternum, cur redierunt aquæ in diluvio? Redierunt jussu Dei: hoc autem non est violare præceptum, obedire præcipienti.

BUCHANANUS.

*Nève iterum immissa tellus stagnaret ab unda,
Limitibus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas.*

Hæc vel *Virgilio* dignissima carmina, videamus quo artificio imitatur

EGLISEMMIUS.

*In varios collecta sinus, transvolvier illinc
Nescia, plangendo resonantia saxa laceffit,
Ne liquido rursum latitet sub marmore tellus.*

Hæc Discipuli sunt, illa Præceptoris: hæc pueri, illa viri. Quid aio? Hæc Versificatoris, illa Poëtæ, & Poëtæ quidem Principis. Jam quid ad mentem Prophetæ?

In varios collecta sinus.—

Plus continet quàm Prophetæ dicit.

—transvolvier illinc.

Inaudita phrasis, quæ quodammodo implicat, ut dicant dialecticè, contradictionem: nam *trans* includit transi-
tionem hinc illuc, ut *Trans mare currit*. Itaque *transvol-*
vier illinc, nullo sensu dicitur. At dubito an Latini usi
fuerint voce *transvolvier*.

VATABLUS.

IO Qui emittit fontes in convallibus,
inter montes ambulant.

BUCHANANUS.

Tum liquidi fontes imis de collibus argent
Flumina, per virides undas volventia campos.

Hi versus reddunt me memorem Maronis, ponuntque
ante oculos locum illum sæpè mihi cantatum:

Non scopuli rupeſque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptos undâ torquentia montes.

EGLISEMMIUS.

Fontibus è nitidis valles argenteus implet
Per tumidos rivus ſectens veſtigia colles.

Quàm hîc turbidos fontes emisisti, qui valles totas in-
undent & impleant? Hi faciunt, ut ne sint rivi argentei
(ut vis) sed cœnosi. Si intuereris tua carmina meis o-
culis, subito exclamares:

Eheu! quid volui miſero mihi? floribus Auſtram
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.

VATABLUS.

II Potum dat omnibus bestiis agrestibus,
frangunt onagri sitim suam.

BUCHANANUS.

Unde ſitim ſedent pecudes, quæ pingua tondent
Pœſcua, quique feris onager ſaxa invia ſilvis
Incolit.

Epitheta natura ipſa dictavit. *Pingua pœſcua* à Pa-
tre Poëtarum accepit. *Tondent, feris ſilvis, ſaxa invia:*
his

s adjunctis naturam onagri planè exponit, quam Pro-
cta tacitè tantùm ponit.

EGLISEMMIUS.

*Libabit latices campis quæcumque vagatur
Bellua, qui silvis onager se tristibus abdit,
Eximat ille sitim ———*

In primis; nulla particula nescit hanc orationem superi-
ri. Quàm egregiè *Buchananus*, *Unde sitim sedent?* Tum
quod addit de onagro, à *Buchanano* furripuit. Nam in
cero contextu non dicitur onager silvas incolere, aut sil-
vas se abdere.

VATABLUS.

12 Juxta eos fontes volucres Cœli habi-
ant, inter frondes dant vocem.

BUCHANANUS.

—— *Hic, levibus quæ tranant aëra pennis,
Per virides passim ramos sua tecta volucres
Concelebrant, mulcentque vagis loca sola querelis.*

Concelebrare tecta, didicit à *Lucretio*: ego planè suspi-
cio quot voces, tot *Margarita*.

EGLISEMMIUS.

———— *Volucris quæcumque strepenti
Verbere pennarum vacuas nitetur in auras,
Hospitio frondente toros structura loquaces,
Mulceat hic vocum tremulo discrimina cantu.*

Frustra hîc moneam cæmentum deesse, quod apud hunc
nusquam est. Sed operæ pretium est advertere animum,
quanto hîc verborum apparatu aviculam in sublime levet,
& id quidem ut nidum faciat: hoc enim volunt verba,
structura toros loquaces. Expectabam hîc alaudam eni-
tentem alarum remigio in nubes, ut canorâ voce aures
mortalium oblectaret: sed frustra fui, nam omnis hic vo-
landi conatus instituitur ad structuram nidi, quod eo etiam
est absurdius, quia multæ aves humi nidificant, ut ad eam
rem haud opus sit volatu. Longè deterius est, quod de
omnium avium cantu subjiçit, nam naturâ dictante intel-
ligere

ligere debuit plures esse aves non cantatrices. Addo particulam *quæcumque* totam orationem falsitate vitiare: certè periculo plena est Paraphrasis, quæ Spiritus Sancti oracula falsa facit.

VATABLUS.

13 Qui irrigat montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra,

Propheta hoc versu addit aliam & admirabilem providentiam, & videtur mihi, hoc loco, ipsum carmen cum materia surgere. Præter enim flumina & fontes, quibus non possunt irrigari montes & altiora loca, Deus pluit ex nubibus, veluti ex Cœlestibus quibusdam fontibus, ut nulla pars terræ non sentiat opem, & tempestivè irrigetur. Sed audiamus quàm inimitabiliter hæc canat Caledonius noster olor:

BUCHANANUS.

*Tu, Pater! aërios montes, camposque jacentes
Nectare Cœlesti saturas, fœcundaque rerum
Semina, vitales in luminis elicis oras.*

Narrant Oppianum Poëtam Græcum pro singulis versibus singulos aureos ab Imperatore accepisse. Certè hæc tria *Buchanani* carmina plus habent eloquentiæ, plus materiæ, plus sapientiæ, plus arcanæ Theologiæ, quàm multa carmina Græcorum Poëtarum (sed quid præmii mereantur, discernere non magis meum est, quàm dare.) Examina si placet. *Aërios montes*, quid dici potest altiùs? *Camposque jacentes*, quid addi potuit spatiosius? *Nectare Cœlesti saturas*, Hæc sapiunt Nectar & Ambrosiam. *Fœcundaque rerum semina*: quàm facundè? *Vitales in luminis elicis oras*: Quàm diu hic sol lucebit, tam diu hæc verba vivent, & volitabunt viva per ora virum.

EGLISEMMIUS.

*Ambrosio montes irrorant astra liquore,
Muneribus satiata tuis, pecorique virisque
Aptas obsequiis, alimentis dulcibus aptas:
Promit humus teneris gemmantes floribus herbas.*

Conatus

Conatus est primo versu imitari Nectar illud *Buchanani*, sed satis est. Intueamur propius. *Nectar* potus Deorum fuit; *Ambrosia*, cibus. Non ergo tam proprie irrigantur montes Ambrosiâ quàm Nectare. Ad hæc non existimo *astra* irrorare montes: nam etsi Cælum capiatur pro aëre, *astra* non item capiuntur. Si *humus*, quod verbum longè sequitur, jungatur cum *satiata*, nihil legi potest obscurius. At *Pecorique virisque aptas obsequiis*: Quo auctore didicisti sic Latinè loqui contra leges Grammaticorum? *Aptas obsequiis viris*: Virorum dicendum erat. Debes Prisciano pœnas: quantò dixisses emendatiùs, *pecorumque virumque aptas obsequiis*.

VATABLUS.

14 Qui germinare facit fœnum pro jumentis, & herbam ad usum hominum, & educit panem de terra.

BUCHANANUS.

Unde pecus carpat viridis nova pabula fœni:

Unde olus humanos geniale assurgat in usus:

Quæque novent fessas Cerealia munera vires.

Si præter hos versus nihil umquam *Buchanani* vidissem, assererem certè hæc esse & summo judicio viri, & maximo ingenio Poëtæ carmen. Quàm *Apolline* digna sunt, *Viridis nova pabula fœni*? quàm eleganter, *olus* pro herba? & apponit ex interiori Philosophia, *geniale*. Tum pro *pane*, *Cerealia munera*: tam Heroicè, ut nihil suprâ: Uno verbo, quæ vocula sine pondere?

EGLISEMMIUS.

Promit humus teneris gemmantibus floribus herbas.

Propheta hoc versu dicit tria, *Eglisemmius* unum. Propheta ponit fœnum, herbam & panem; fœnum jumentis, panem hominibus, & ne deesset obsonium, herbam. *Eglisemmius* existimans panem & fœnum abundare, exprimit solum herbas. Ne utar pluribus, certè manca est hoc loco Paraphrasis. Sed quid ad fœnum? quid ad herbas cibarias hæc gemmæ? hi flores? Nam herbæ sæpenumerò pulcerrimorum florum non eduntur.

VATABLUS.

15 Et vinum quod lætificat cor hominis
ut faciem nitere faciat præ oleo, & panem
qui cor hominis fulcit.

BUCHANANUS.

*Quæque hilarant mentes jucundi pocula vini,
Quique hilarat vultus succus viridantis olivi.*

Longè consultius hîc omittitur sine culpa iterata mentio panis, quàm in superiori versu, quoniam facile est eundem versum repetere, nec indecorum fuisset eundem repetere. Sed quid de hoc sentiam, alibi.

EGLISEMMIUS.

*Pampineos animis neclentes gaudia succos,
Et baccas oleæ fragrantis ut ora serenent,
Et Cererem valido firmantem corda vigore.*

Primo versu sermo non exprimit sensum Prophetæ, & ipsa sententia non promit vinum. Probo. Pampinei succi neclunt gaudia animis, non significant lætificare cor. Deinde, Pampinei succi non sunt vinum; aut si pro vino capiantur, dura locutio est, & plurium figurarum.

VATABLUS.

16 Saturantur arbores excelsæ, cedri Libanon quas plantavit.

BUCHANANUS.

*Nec minùs arboribus succi genitabilis humor
Sufficitur, cedro Libanon frondente coronas,
Alitibus nidos. ———*

EGLISEMMIUS.

*Arboreos factus, tinea impervia cedri
Robora tu saturas, Libani quæ consita celsò
Vertice progeniem volucrum nidosque tuentur.*

Agnosco numeros, & verba, &, ut sic dicam, stamen Virgilii, *Arboreos factus*: ceterum agnosco subtegmen Textoris, qui confecit centonem in usum incipientium puerorum,

am, ex veterum, & suis epithetis, quasi versicoloribus quibusdam filis; hinc subsecuit *Eglisemmius*, *Tineis interviam cedri*. Cedrus enim (inquit puerorum Pædonopus Textor) lignum habet jucundi odoris & tineis intervium. Ad hæc, quis umquam legit *robora cedri*? Eodem jure dicam *fagos cedri*, *platanos cedri*, *fraxinos cedri*: quæ locutiones dignissimæ sunt *robore* & *rubore*.

VATABLUS.

17 Ut ibi aves nidificent, Ciconiæ abies sunt domus.

BUCHANANUS.

*Abies tibi consita surgit,
Nutrit ubi implumes peregrina Ciconia fetus.*

EGLISEMMIUS.

*Nec minùs est felix abies, hæc vimine texta
Pendula castra novat clangente Ciconia rostro.*

Cum quâ confertur arbore felicitate abies? Ut non minùs sit felix: Quæ tandem est hæc felicitas? An quoddamaturatur rore Cœlesti? an quoddam ibi aves nidificent? At certe arborum felicitas hæc nulla est, est potiùs *avium*. Deinde, quis docuit *Ciconiam castra sua vimine texere*?

VATABLUS.

18 Montes excelsi ibicibus, petræ hospitium leporibus.

BUCHANANUS.

*Tu timidis montes damis, cava saxa dedisti,
Tutus ut abstrufis habitaret echinus in antris.*

EGLISEMMIUS.

*At lepori silices, pavidis juga senta recessum
Concilias damis. —*

E tot sententiis interpretum elegit *Buchananus* honestif-

fima nomina, ut res videretur ab ipsa natura depingi; sic *timidi damæ* amant montes, *echini* antra. Certè non disputabo cum linguæ Hebraicæ peritis: sed maximè fugerem sententiam interpretum, qui struunt lepores. Ratio. Timidum animal lepus est, & ideò dicitur dormire apertis oculis, totamque vitæ spem in pedibus & fuga ponere; hinc *lepus* quasi *levipes*. Jam saxa, filices & montes retardant lepores fugientes. Itaque aperta æquora & campos amant lepores.

VATABLUS.

19 Fecit lunam in tempora, sol novit occasum suum.

BUCHANANUS.

*Tu lunæ incertos vultus per tempora certa
Circumagis, puroque accensum lumine solem
Ducis ad occiduas constanti tramite metas.*

Ipse hypercriticus ille Cæsaris nihil carperet in istis versibus, ubi *luna* tot figuris, & *sol* tam puro lumine illustrat orationem.

EGLISEMMIUS.

————— *Constanti temporis ortu
Inconstans lunare decus renovare figuras,
Occiduoque jubes pelago decumbere solem.*

Nescio quo merito luna visa est favere his versibus, eosque spongiæ subtrahere. Imitatio est *Buchanani*: ille *incertos*, *certa*: hic *constanti*, *inconstans*.

VATABLUS.

20 Ponis tenebras & est nox: in ipsa reptat omnis bestia silvestris.

BUCHANANUS.

*Inde supersusis cuncta involventibus umbris,
Per tacitas spargis nocturna silentia terras:
Tum fera prorepat latebris.——*

Prore-

Prorepat exprimit Hebraicæ dictionis vim: hi versus obscuram noctem clarè depingunt.

EGLISEMMIUS.

*Tecta soporiferos piceâ caligine vultus,
Nubila diffundis tacitam ducentia noctem:
Proruit interea speluncis acre ferarum
Agmen. —*

Ut melius exprimeret noctem, versus fecit plenos tenebrarum. *Diffundis nubila ducentia tacitam noctem:* Minimè gentium: *nubila non ducunt noctem.* Nam sudo & fereno cœlo, & non nubilo, fit aliquando nox: Atque sæpenumero interdiu nubila. Alter totus versus est superfluus, & Ovidii ad verbum, 1. Met.

———— *Madidis Notus evolat alis,
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.*

VATABLUS.

21 Leunculi rugiunt ad prædam, & ad quærendum à Deo escam suam.

BUCHANANUS.

———— *Silvisque relictis,
Prædator vacuis errare leunculus arvis
Audet, & è Cœlo mugitu pabula rauco
Te Patrem exposcit. —*

EGLISEMMIUS.

———— *Et auxilium Cœleste leunculus escam
In prædam exorans rugitibus æthera pulsat.*

Sanè non poscunt feræ escam in prædam, sed prædam in escam.

VATABLUS.

22 Oritur sol, congregant se; & in habitaculis suis accubant.

BUCHANANUS.

----- *Dein rursus, sole renato,*
Abditur occultis prædatrix turba cavernis.

EGLISEMMIUS.

Sole recens orto latebrosis inq̃ia dumis
Antra subit. -----

VATABLUS.

23 Tunc egreditur homo ad opus suum,
 & ad culturam suam, usque ad vesperam.

BUCHANANUS.

Inque vicem subeunt hominumque bonumque labores,
Donec sera rubens accendat lumina vesp̃er.
 Artificii est fundere Virgilii versus tamquam suos.

EGLISEMMIUS.

----- *Redeunt alacres ad plaustra coloni,*
Donec purpureus det sera crepuscula vesp̃er.

Multa erant longè honestiora opera, quibus exprimeretur sententia Prophetæ; qui non nominatim, sed generatim, producit hominem *ad opus, tu plaustrarium facis*. Non paulò civilius *Buchananus opus vertit labores*. Ne objicias *culturam*, aio, *culturam* comprehendere plurima mundiora *plaustro*. Virg. docet in Georg. Miror cur non sumferis Virg. versum, quem poteras eodem jure, quo ille, nisi crederes te meliorem facturum.

VATABLUS.

24 Quàm multiplicata sunt opera tua, Jehova? Omnia ipsa in sapientia fecisti: completa est terra possessionibus tuis.

BUCHANANUS.

Sic, Pater! in cunctos didis te commodus usus:
Nec tantum tellus, Genitor! tua munera sentit,
Tam variis fecunda bonis. -----

EGLI-

EGLISEMMIUS.

*Sancte Opifex! quanto moliris cuncta decore,
Consilioque struis! moles terrena tuarum
Dives opum exsultat.——*

Agitur, ut ego sentio, non Spiritu Poëtico hic auctor, sed motu naturali; qui semper velocior est in fine, ut hic Poëta melior in postremis versibus. Ego tamen non apposuisssem *struis*, nec adiecisssem *moles*, nec dixisssem *exsultat*, nam *struis* & *moliris* idem. *Moles* verò & *moliris* fastum potius quàm figuram loquuntur. Et *exsultat* quod *Buchananus* tripudiantibus piscibus adscribit benè, adscribit hic non benè terræ.

VATABLUS.

25 Hoc mare magnum & latum locis: ubi reptilia, quorum non est numerus, & bestię pusillæ cum magnis.

BUCHANANUS.

*———Sed & æquora ponti,
Fluctibus immensas circumplectentia terras,
Tam laxo spatiosa sinu: tot millia gentis
Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia caudâ
Exsultant.———*

EGLISEMMIUS.

*———Latè circumsonat ingens
Oceanus, seu parva lubet seu magna, ciere
Corpora squamigerûm, vitreâ complectitur alvo
Innumeras pinnâ fluitantes remige turbas.*

VATABLUS.

26 Ibi naves ambulant, & Leviathan iste, quem formasti ad ludendum in eo.

BUCHANANUS.

*———Tot monstra ingentia & horrida visu
Veliferas circumnans puppes, grandia cete*

Effin-

Effingunt molles vitreo sub marmore lusus.

EGLISEMMIUS.

*Pandentes levibus naves cita carbasa ventis,
Marmoreoque finis balenas gurgite passim
Carpere jucundos placido molimine saltus.*

Non intelligo quid sit, *Sinis naves pandentes cita carbasa.* Nec sensus bonus est, nec syntaxis: ego scripsisset *pandere.*

VATABLUS.

27 Univerſa ipſa in te ſperant, ut deſeſcam ipſorum in tempore ſuo.

BUCHANANUS.

*Atque adeò quæ terra arvis, quæ fluctibus æquor
Educat, à te uno pendent, Pater optime! Teque
Quæque ſuo proprium poſcunt in tempore victum.*

EGLISEMMIUS.

*In te, ſumme Parens! hæc inclinata recumbunt
Omnia, temporibus victum poſcentia certis.*

Hæc ergò omnia non recumbunt in Deum, niſi *inclinata*, jacentia & debilitata? Falfum, & contra mentem Prophetæ. Immodò hæc omnia erecta, integra, & firmis viribus in Deum ſperant, à Deo pendent. Phraſis Virgiliana detorſit calamum tuum in hoc diverticulum ex 12 *Æneid.*

—————*Domus inclinata recumbit.*

VATABLUS.

28 Das iis, colligunt: aperis manum tuam, ſaturantur bono.

BUCHANANUS.

*Te magnam pendente manum, ſaturantur abundè
Omnia*—————

EGLI-

EGLISEMMIUS.

*Te dante, accumulante; dextram laxante, renident
Exsaturata bonis.*—————

VATABLUS.

29 Abscondis faciem tuam, turbantur:
aufers Spiritum eorum deficiunt, & in pul-
verem suum revertentur.

BUCHANANUS.

—————*Te rursus vultum condente, fatiscunt:
Te tollente animam, subito exanimata recurrunt
In cinerem.*—————

EGLISEMMIUS.

—————*Vultum celante, paveſcant:
Vitales reſecante moras animæque nitorem,
Protinus in tenuem vertuntur pulveris umbram.*

Vitales reſecare moras, id eſt, morti addicere, privare vi-
viendi formulis, fortè obſcuroꝝ virorum Epiſtolis.
Præterea, ſubjunxit aliam phraſin longè deteriore, *reſe-
care nitorem animæ*, quod quid ſit ne Sybilla quidem in-
terpretetur. Deinde, *vertuntur in pulveris umbram*: hoc
corruptionis genus ignoravit Ariſtoteles. Umbra enim
privatio eſt, in quam nulla res vertitur. Sanè fruſtrâ,
non dicam ineptè, plus dicimus quàm Propheta: ille, *In
pulverem ſuum revertentur*: hic, *In tenuem vertuntur pul-
veris umbram*.

VATABLUS.

30 Mittis Spiritum tuum, creantur: & in-
novas faciem terræ.

BUCHANANUS.

—————*Inſpirante animam te denuð, ſurgit
Illico ſœcundæ ſobolis generoſa propago,
Et deſolatæ gens incolit aurea terras.*

EGLI:

EGLISEMMIUS.

*Adperso rediviva tuo spiramine surgunt,
Squalentique redit facies latissima terræ.*

Ex hac paraphrasi unius versiculi facile erit decernere, quot stadiis præcurrat *Buchananus* non hunc, quem piget nominare, sed omnes Poëtas, præter incomparabilem Maronem. Hoc ut clarè intelligamus, interpretemur exactè versiculum Prophetæ; *Mittis Spiritum tuum, creantur: & innovas faciem terræ.* Principiò, *creantur* non accipitur propriè, ut Theologi capiunt, pro educatione ex nihilo, sed pro educatione in genere & procreatione individuorum, in diversis rerum speciebus. Itaque quamvis potest Deus Opt. Max. *mittere Spiritum suum*, & vitam reddere iis quibus abstulit, etiam in individuo; ut verè faciet tandem in resurrectione omnium hominum: tamen Prophetæ hîc loquitur de missione Spiritûs vitalis in animantium genera per novam generationem, quo sensu rectissimè *renovat faciem terræ*; cùm, post varios casus & occasus animalium, iterum replet orbem novo fœtu per generationem. Jam videamus quàm peritè, quàm facundè, quàm poëticè, hæc omnia cecinerit olor noster Caledonius:

—*Inspirante animam te denuò, surgit*

Illicò fœcundæ subolis generosa propago.

Hoc est, *Mittis Spiritum tuum, creantur.* Pergamus, & *innovas faciem terræ.*

Et desolatas gens incolit aurea terras.

O verba planè aurea! O Regem Poëtarum! Agis Theologum, dum interpretaris: agis Poëtam, dum fundis ista mella. Mallem esse auctor horum trium carminum, quàm Rex Togatulorum. Audiamus jam strepitum verborum *Eglisemii*:

Adperso rediviva tuo spiramine surgunt,

Squalentique redit facies latissima terræ.

Hæc paraphrasis videtur interpretari Prophetam de renovatione faciei terræ: quæ fit quotannis, cùm induit novam quodammodo vestem, & herbescentem diffundit viriditatem, ut ait Tullius; quæ an sit ad mentem Prophetæ, judicent alii: hoc tamen non duxi prætermittendum, quòd *Spiramen* vel Dei Spiritum, tamquam liquidum quid foret, vel ut oleum, adspergi dicat.

VATABLUS.

31 Erit gloria Jehovæ in seculum, & lætabitur Jehova in operibus suis.

BUCHANANUS.

*Sic eat! Et nullo regnet cum fine per ævum
Majestas divina, suumque in secula lætus
Servet opus Deus!——*

EGLISEMMIUS.

*Compleat æterno venientia secula plausu
Fama Jovæ! Caras operum monumenta suorum
Delicias Rex usque vocet.——*

Primo versu, non illaudatâ profectò paraphrasi, sensum Prophetæ reddit. Conferamus.

Erit gloria Jehovæ in seculum.

*Compleat æterno venientia secula plausu
Fama Jovæ!——*

Secundo versu paulò obscurior est, & nemo homo sic loqueretur.

Lætabitur Jehova in operibus suis.

*——Caras operum monumenta suorum
Delicias Rex usque vocet.——*

VATABLUS.

32 Qui adspicit terram, & tremit: tangit montes, & fumant.

BUCHANANUS.

*——Ille Deus, quo territa tellus
Concutiente tremit, montes tangente vaporant:
Fumiferâ trepidum nebulâ testante pavorem.*

EGLISEMMIUS.

*——Cui visa repente
Terra tremit: rupes, tactâ radice, vacillans
Exsudat refugos dorso fumante vapores.*

E

Rursus

Rurfus bellè incipit, & bellè loquitur. Conferamus cum contextu.

Qui adspicit terram, & tremit.

——Cui visa *repente*

Terra tremit.——

At quæ sequuntur verba planè tremunt. Cur ais? *Tactâ radice.* Nihil tale habet Propheta: sed dicit, *Tangit montes, & fumant.*

Lector amice! peto hîc vehementer attentionem. Hoc versu Propheta alludit ad montem Sinai, quem describit Moyfes, Exod. 19. his verbis: In cujus verticem descendit Dominus, & vocavit Moysem in cacumen ejus: *Totus autem mons Sinai fumabat, eò quod descendisset Dominus super eum in igne, & adscenderet fumus ex eo quasi de fornace.* Ergo descendit in verticem, non ad radicem.

Adnectit:

Exsudat refugos dorso fumante vapores.

Qui sunt refugî hî vapores? Certum est fumos adscendere, scribitque Moyfes, *Et adscenderat fumus ex eo:* quomodo ergo refugiunt?

VATABLUS.

33 Cantabo Jehovæ in vita mea: psallam Domino meo quamdiu ero.

BUCHANANUS.

*Hunc ego dum vivam, dum spiritus hos reget artus
Usque colam.*——

EGLISEMMIUS.

*Carmen erit Deus iste mihi, quoad ultima vitæ
Linea succedat: mihi pars quoad ulla superstes,
Illi sacra canam memori præconia cultu.*

Videtur *Eglisemmius* extendere sententiam horum versuum suum ad laudes, quæ post hanc vitam ab anima superstite fundentur, quod est contra interpretes & mentem Prophetæ.

VATABLUS.

34 Dulce erit ei eloquium meum: ego
lætabor in Jehova.

BUCHANANUS.

——— *Tantum ille meas facilisque bonusque
Accipiat voces: nempè illo oblector in uno.*

EGLISEMMIUS.

Dulce melos meditatus ei: lätabor eodem.

Carmen hoc & humile est, & tantum abest ab Heroi-
ci carminis majestate, ut oleat solutam pueri orationem.
Jure merito subjungam:

Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum.

VATABLUS.

35 Confumentur peccatores de terrâ, &
impii ultrâ ne sint.

BUCHANANUS.

*At verò impietas planè exstirpetur ab ima
Radice, & scelerum stirps nulla repullulet.*——

EGLISEMMIUS.

Rapta sed in nihilum terras gens prava relinquat.

Reliquam versiculi Prophetæ partem reliquit lectori-
bus per aposiopesin supplendam. Expressit ornatissimus
Buchananus:

——— *Et scelerum stirps nulla repullulet.*

VATABLUS.

36 Benedic, Anima mea! Jehovæ. Alle-
luya!

BUCHANANUS.

——— *Ac nos
Te rerum, Deus alme! Patrem Dominumque canemus.*

EGLISEMMIUS.


Pange Deo laudes positis mens libera curis!

Nihil habetur in textu quod curæ significant, nisi fortasse sit illud *Alleluia*. Ego certè quidem fateor Hebraicè me minimè esse doctum; sed accepi à Præceptoribus *Alleluia* lætitiæ vocabulum esse, non curarum. Quoniam puduit tam lætum, tam lautum Psalmum tam tristi versu claudere, subjeci iterum ultimum *Buchanani*, plenum urbis & elegantiarum.

Te rerum, Deus alme! Patrem Dominumque canemus.

F I N I S

*G. EGLIS-*



G. EGLISEMMII

D E

BUCHANANÆA PSALMI CIV

Poetica Paraphrasi

J U D I C I U M.

Quisquis Buchanani genium ritè noverit, ejusdem in Musas tyrannicæ licentiæ defendendæ gratiâ, prosodiam ab illo exaratam animadvertet; non minùs quam Historiam Scotorum ad dialogos de jure Regni perperam confirmandos. Aded tamen in arte suâ cæcutiit ut erroribus omni excusatione majoribus nihil solidè potuerit unquam prætere.

In primis, syllabam illustrium omnium (obscuriores nil moror) Grammaticorum regulis longam, hic insulse corripuit, nempe ultimam in *denuò*, à nomine (puta *de novo*) deductam.

Secundò, Solœcismum turpiter commisit his versibus:

*Neve iterum immissa tellus stagnaret ab unda,
Limitibus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas.*

Si enim epithetum (*compressa*) attribuat telluri, falsam reddit orationem: & ut loquitur *Julius Scaliger*, solœcismus erit in Philosophia. Sin attribuat *unda*, solœcon dabit in Grammatica, subjectum & substantivum collocans in obliquo casu, epithetum in recto. Nec licebit ei se defendere subaudiendo subjectum repetitum in recto, sola enim impersonalia hoc admittunt.

Tertiò, carmina solutam potiùs orationem quàm Heroï-
ci

ci versus Majestatem redolentia effudit ibidem, hæc scilicet:

Pollenti stabilita manu terra obruta quondam, &c.

Veliferas circumnans puppes, grandia cete, &c.

Exsultant tot monstra ingentia & horrida visu, &c.

Nec non ista,

Te tollente animam subito exanimata recurrunt

In cinerem: Inspirante animam te denuò, surgit, &c.

Et illa,

At verò impietas planè exstirpetur ab ima

Radice, & scelerum stirps nulla repullulet, ac nos.

Nec urgebo admodum carmina quàm proximè ad ridiculam leoninorum naturam accedentia, quorum mediæ & penthemimeri finis resonat. Nam etsi non invenusta quandoque literæ unius resonantia, ut:

Fluctibus ut fuso super ardua culmina velo,

Item,

Nevè iterum immissa tellus stagnaret ab unda:

Tamen quò plurimum literarum & quò pluribus versibus hæc resonantia fit, eò deformius carmen redditur. A qui venustatem assequi potest, hævis gaudebit ejusmodi:

Ætheris æternas Rector moliris habenas, &c.

Te decor, auratis ambit te gloria pennis, &c.

Littora, præscriptas metuens transcendere metas, &c.

Pascua, quique feris onager saxa invia silvis, &c.

Tutus ut abstrusis habitaret echinus in antris, &c.

Ducis ad occiduas constanti tramite metas, &c.

Inde superfluis cuncta involventibus umbris, &c.

Prædator vacuis errare leunculus arvis, &c.

Abditur occultis prædatrix turba cavernis, &c.

Fluctibus immensas circumplectentia terras, &c.

Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia caudâ, &c.

Quæque suo proprium poscunt in tempore victum, &c.

Et desolatæ gens incolit aurea terras, &c.

Sapiunt hæc ferè incultum id seculum quo senes & circulatores rhythmicis hexametris unice delectabantur; cuiusmodi celebratur illud marmoreæ cathedræ Westmonasterii appensum:

Ni fallat fatum, Scoti quocumque locatum

Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

Quartò, conjunctiones &, atque, quæ, ac, toties iteratas posuit, nempe 34, ut nauseam pariant: ut *Dominum*

quo

ue, patremque, & circumfusum, & liquidas, & levibus, ammaque, tonitruque, inque, quique, malcentque, silvisque, amposque, foecundaque, quæque, quæque, quique, puroque, & cælo, inque, hominumque, boumque, sed & æquora, & horrida, atque adeò, teque, quæque, & desolatas, suumque, acilisque, bonusque, & scelerum, ac nos, Dominumque.

Quintò, elisiones plures (puta 35.) in carmine polito parciùs usurpandæ sunt, ut ventorum alis, accinctæ auræ, iussa accipiant, terra obruta, insonuere auræ, cernere erat, neve iterum immissa, saxa invia, unde olus, geniale assurgat, quæque hilarent, quique hilaret, ubi implumes, lunæ incertos, puroque accensum, cuncta involventibus, Patrem exposcit, monstra ingentia & horrida, atque adeò, à te uno, tollente animam, subito exanimata, in cinerem, inspirante animam, suumque in secula, tantum ille, nempe illo oblector, ut verò impietas, planè exstirpetur, radice & scelerum.

Inter quas omnium durissimæ sunt quæ in quintum pedem proximè incidunt; ut,

----- Terra obruta quondam,

----- Saxa invia silvis.

Sextò, congeffit omnia supplementa miserè laborantis ingenii, nempe, tum, tantum, sic, unde, inde, tam, tot, tu, te, tibi. His locis, tum liquidi fontes, tum fera prorepat, nec tantum, tantum ille, sic Pater, sic eat, tam variis, tam laxo, tot millia, tot monstra, unde sitim sedent, inde pecus, unde olus, inde supersusis, te rerum, te decor, tu tibi, tu Pater, tu timidus, tu lunæ, te Patrem, te didis, à te uno, te magnum, te rursus vultum, te tollente, teque, quæque, &c. Quæ ab elegantia iterationis poëticæ longè distant, ob multorum carminum moram interjectam.

Septimò, nugationes, ut, dein rursus sole renato, item, nullo cum fine per ævum. Patrem, Parens, Pater, Patrem, Genitor, Pater, & Pater optime, denique Patrem.

Ut phrasium duarum priorum nugationes perspicuæ redantur, observetur particulam (re) in vocum compositarum structura idem penitus designare, quod rursus. Ergò renato, id est, rursus nato: proinde cum dixit, dein rursus sole renato, idem præstitit ac si dixisset, dein rursus sole rursus nato. Similiter, nullo cum fine idem valet quod per ævum. Idcirco dum protulit; nullo cum fine per ævum, sensu perinde est ac si protulisset, per ævum per ævum. Deinde per ævum, id est, nullo cum fine; quare qui dixerit
nullo

nullo cum fine per ævum, perinde loquetur, ac si diceret *nullo cum fine, nullo cum fine*. Cetera seipsis patent.

Quinimò, eorundem epithetorum reiteratio & diversis subjectis applicatio exhibilanda est in tam exiguo Poëmate. *Per virides campos, virides ramos, viridis fœni, viridantis olivæ, fœcunda semina, fœcunda tellus, levibus alis, levibus pennis*.

Octavò, resonantia literarum finalium in vocibus similiter desinentibus in (a) indigna est erudito Poëtâ. Ut in hoc poëmate aliquoties, nempe,

Squamigera tremulâ per stagna liquentia caudâ.

Item,

Exsultant tot monstra ingentia & horrida visu.

Et in æ,

Apparent accinctæ auræ, flammæque ministræ.

Nonò, integrorum penè versuum, in aliis auctoribus, & in ipso alibi positorum, mutatio egestatem denotat, ut horum:

Ætheris aternas Rector moliris habenas.

Item,

Donec sera rubens accendat lumina vesper.


Denique, digressiones à sensu textûs, & omissiones partium textûs, minùs rectam arguunt Paraphrasin, ut collatione versuum cum sacro codice liquidò constabit.

Alia verò plurima Buchanani errata castigatione dignissima, ipsis tyronibus pulverem Grammaticum versantibus obvia, ut *planget, ne stagnaret*, item *rugitus leunculi*, & similia, lubens prætereo; cuncta hæc limatissimo Celebratissimæ Parisiensis Academiæ judicio submittens; hæc enim utrique nostrum benigna fuit Parens studiorum.

His peractis observatiunculis, de illius & nostro Poëmate judicet qui volet; si qui volet, judicio valeat incorrupto.

F I N I S.





GUL. BARCLAYI

Amœniorum Artium & Medic. Doct.

JUDICIUM

D E

Judicio G. EGLISEMMII, quo damnat BUCHANANUM & læsæ Latinitatis, & violatæ Poëtices.

P Rincipiò, præfiscinè, pronuncio magis esse arduum in *Buchanani* Poëmata invenire versus non bonos, quàm in *Eglisemmii* non malos. Clara res est consideratè legenti.

Deinde, quæ objicit maximo & clarissimo Poëtæ, omnia sunt aut evidenter falsa, aut ridiculè puerilia, aut perperam intellecta. Sed ordiar altiùs, & quid peccatum sit, & hîc, & ibi, judicio meo, sine odio, & sine amore, palàm proferam. *Eglisemmio*, quasi Doctori, dabo primas: *Buchanano* secundas, ut tantùm docto. Scriptum suum ergò vocat *Duellum*, Anglicè potiùs, quàm Latinè. Nam *Duellum* idem est quod Bellum: at bellum duarum partium quidem est, sed non duorum solùm. Vocassem *Certamen* potiùs, quod inter duos fit frequenter. Crede Maroni:

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Epigraphe peccat iterum in *Decertantibus*. Certè non decertat jam *Buchananus*, nisi fortasse cum Orpheo, in campis Elysiis: ob quod certamen vocat fortè *Eglisemmii lassatos ejus Manes*, in Epistola ad magnum Regem.

In toto Poëmata tantùm octo sunt sive versus sive

phrases, secretioris literaturæ mystis tolerabiles: scilicet

Ventorum alato peragras sublimia curru:

Conspicui nudata levant fastigia montes:

Per tumidos rivus flectens vestigia colles:

Sole recens orto latebrosis invia dumis

Antra subit: —————

Innumeras pinnâ fluitantes remige turbas:

Illi sacra canam memori præconia cultu.

Phrases.

Cænacula ponis in undis.

Per tumidos colles.

Solæcismos, inpropriè dicta, mancas paraphrases, non hærentia membra, obscura, superflua, notavi in *judicio de Paraphrasi*.

Hic locus cogit contundere manifestas calumniâs, quibus famatur nobilis Poëtæ eruditio. In primis, inquit *Eglisemmius*:

Syllabam Grammaticorum omnium regulis longam hic impulsè corripuit: nempe ultimam in *denuò*, à nomine puta *de novo* deductam.

Haud dubiè ineptum esset contendere cum *Mathematico* de nominum genesi: sed de quantitate syllabarum soleo, non Genethliacos, sed Grammaticos consulere. Inter quos Victorinus affirmat *denuò* esse dactylum. Et quoniam agimus cum Scoto, de Scoti eruditione, non erit absurdum, testem etiam Scotum producere: is est *Sedulius*, locuples admodum & religiosus testis, qui floruit circa annum quadringentesimum trigesimum. Ejus hic versus est:

Vox Domini superexstat aquas, vox denuò verbum.

Ergò Grammatici & Poëtæ nobis adsunt. Videamus an argumentis vincat. Putat ideò ultimam in *denuò* produci, quia à nomine deducta est: quid igitur amodò, sedulò, mutuò, citò, quorum ultimas licet corripere? An non & ea à nominibus derivantur? Tandem accipiamus legem, quam ipse tulit: sint talia longa omnia; cur ille suæ legis immemor, corripuit priorem in voce *quoad*, nempe à nomine *quo* deductam? & quod mirandum est, à nomine prius correptam?

Secundò, subjungit *Eglisemmius*:

Solæcismum turpiter commisit his versibus *Buchananus*:

Neve iterum immissa tellus stagnaret ab unda,

Limiti-

Limitibus compressa suis resonantia plangit

Littora, præscriptas metuens transcendere metas.

Si enim epithetum *compressa* attribuat telluri, falsam reddit orationem; & ut loquitur Scaliger, solœcismus erit in Philosophia: sin attribuat *unda*, solæcon dabit in Grammatica, subjectum & substantivum collocans in obliquo casu, epithetum in recto: non licebit ei se defendere subaudiendo subjectum repetitum in recto, sola enim impersonalia hoc admittunt.

Existimo esse præter officium Medici morbos orationis sanare: sed arbitror esse è re literaria docere orationem vegetam, valentem & satis superque sanam, non ægrotare. Hi versus *Buchanani*, non vitali solum calore, sed vivido colore pleni, nihil habent quod jure carpat vel *Invidia*. *Eglisemmius* taxat duo: *Plangit ne stagnaret*, & *Ab unda, limitibus compressa suis*.

Hæc formulâ loquuntur excellentissimi auctores: Grammatici vocant *Syllepsim casus*. Linacer sic definit; *Syllepsis est, cum dissimilibus clausulis commune aliquid, quod in una ponitur mutatum aliquatenus, in alia desideratur*. Confer hanc definitionem cum verbis *Buchanani*;

Neve iterum immissa tellus stagnaret ab unda,

Limitibus compressa suis. —

Unda ergo est aliquid commune duabus clausulis, quod priore versu ponitur, & mutatum aliquatenus, scilicet in casu, sequenti versu desideratur. Satin' clarè? Intellexistin' *Eglisemmi*? Quæso discè candidè loqui de viris doctis, & modestè de mortuis. Auctores Latinæ linguæ non semel utuntur eâ formulâ sermonis: *Cornel. Tacitus*, 2. *Annal. Quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat*. Non est tibi Dictatori inter Grammaticos opus, ut arbitror, Commentatore: *Salust. Linguæ Latinæ quasi quidam atavus, De ordinanda Repub. Ad pecuniam, quâ, cuique libet, viâ nititur*. *Eutrop. lib. 8. Propterea quod à Trojano victâ Daciâ, ex toto orbe Romanorum infinitas eò copias hominum transtulerat*. Lac lacti non est similius, atque hæc oratio *Buchanani* verbis. Hic enim subauditur in nominativo, quod antè ponebatur expressè in ablativo. Sed pudet repuerascere. Pergerem ad viriles & robustas, ut sic dicam, objectiones, nisi me paululum moraretur illa regula de *Impersonalibus*, quam, bonâ fide, nec intelligo, nec lego apud Grammaticos.

Tertiò, ita inquit *Eglisemmius*:

Carmina solutam potius orationem quàm Heroïci versûs Majestatem redolentia effudit ibidem: hæc scilicet,

Pollenti stabilita manu, terra obruta quondam.

Veliferas circumnans puppes, grandia cete.

Exsultant tot monstra ingentia & horrida visu.

Nec non & ista,

Te tollente animam subito exanimata recurrunt

In cinerem: Inspirante animam te denuò, surgit,

Et illa,

At verò impietas planè exstirpetur ab ima

Radice, & scelerum stirps nulla repullulet, ac nos.

Hos versus ut infelicia lolia, ut steriles avenas, ut vitia quædam carminum libens eruncaret: Quos tamen nemo vel mediocriter Poëta non intuetur ut lilia, non exosculatur ut rosas. *At solutam orationem redolent.* Si vocat solutam orationem, carmen grandi & regio gradu incens, quamquam ordo Grammaticæ compositionis non turbetur: ipse Virgilius solutas fudit tales orationes:

O formose puer! nimium ne crede colori.

Humida solstitia atque hyemes orata serenas.

Vix è conspectu Siculae telluris in altum

Vela dabant leti. —

Defatigaret lectorem repetitio mille versuum, quorum ipsa simplicitas virtus est, non vitium. Fortasse vocat illam orationem tantum carmen, quæ turbido & temulento passu gradiens, & ordinem confundit, & rem obscurat. Qualem orationem *Eglisemmii* paraphrasis suppeditat.

Ambrosio montes irrorant astra liquore,

Muneribus satiata tuis, pecorique virisque

Aptas obsequiis, alimentis dulcibus aptas:

Promit humis teneris gemmantes floribus herbas.

Hæc oratio vel *Oedipum* cruciaret.

Pergit *Eglisemmius*:

Nec urgebo admodum carmina quàm proximè ad ridiculam Leoninorum naturam accedentia: quorum medio & penthemimeri finis resonat.

Paucis interpositis.

Sapiunt hæc ferè incultum id seculum, quo senes & Circulatores rhythmicis hexametris unicè delectabantur. Cujusmodi celebratur illud marmoreæ cathedræ Westmonasterii appensum.

*Ni fallat fatum, Scoti quocumque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.*

Antagonista hic definit Leoninum versum, & ponit exempla: utrumque malè. Nam qui damnat Buchanani carmina virtute definitionis, is necessariò absolvit eadem vi exemplorum. Si, ut cum Philosophis loquar, essentia Leonini versus consistit in sono ultimæ syllabæ, reiterante quodammodo postremam syllabam penthemimeris: certè versus Leoninos admittit quoque Virgilius:

*Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.*

Jam verò exempla docent contra descriptionem, non ultimæ syllabæ rationem habendam, sed penultimæ.

Ni fallat fatum, Scoti quocumque locatum.

Ad hanc regulam nullæ sunt carmina *Buchanani*. Atque etiam si talia carmina senum tantum sunt & Circulatorum: Circulator Ovidius est: sic enim ille in *Arte*;

Quot Cælum stellas, tot habet tua Roma puellas.

Circulator Virgilius est, qui 10. *Æneid.*

I nunc! & verbis virtutem illude superbis!

Quartò, Increpat conjunctiones toties iteratas. Miror: illæ enim sunt, sine quibus poeticum opus ædificari nequit. Ad ornatum aliquando ponuntur, aliquando ut expleant, etiam sine necessitate.

Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi.

Multa quoque & bella passus.—

Atque hinc atque illinc numeros ad vulnera durant.

Molemque & montes.—

I nunc, fodes! Virgilium increpa.

Quintò, Elisiones numerat, nempe triginta quinque: tot equidem ornamenta, sine quibus carmina non parum suæ magnitudinis amitterent. Opponam unum hemistichium adversus tot testes, obtorto collo, huc à te ductos.

Phyllida amo ante alias.—

Ubi quatuor verba, tres elisiones.

Sextò, *Congessit* (inquit Eglisemmius) omnia supplementa miserè laborantis ingenii, nempe tùm, tantùm, sic, &c. Numquam legit Eglisemmius, ut apparet, Patrem Poëtarum Homerum: in cujus decem versibus obiter occurrentibus, plures non necessariae particulæ leguntur, quàm in sexaginta versibus Buchanani. Architecti, haud dubiè, te præfectum non admittent; immò mittent potiùs

tiùs in latomias lapidarias; qui parietem sine calce, sine cœmento, eodem jure ædificandum censeret, quæ Poëma sine particulis, quæ tamquam fibræ continent membra orationis, & continuam faciunt sententiam. Itaque tales voculæ, non sunt supplementa miserè laborantis ingenii, sed signa acerrimi judicii, periti artificis & indicia perfectissimæ orationis.

Septimò, accusat *nugationes*, & ponit exempla:

Dein rursus sole renato.

In primis, hunc versum non intelligit: Sermo est de feris quæ noctu vagantur; Sole verò orto, sese recipiunt.

Tum fera prorepat latebris.——

Quando? Cùm

Per tacitas spargis nocturna silentia terras.

———*Dein, rursus, Sole renato,*

Abditur occultis prædatrix turba cavernis.

Construe, si placet, *Dein, Sole renato, prædatrix turba rursus abditur*. Sed fac dixisse *rursus renato Sole*. Quid tum? an non Latinè? an non eleganter dicitur? Sanè, vel decima Musa Plautus non est Latinè loquutus. Pænul. Prolog. *Reverte rursus*. Bacchid. *Rursum recipere*. Cistellar. *Rursum recurrere*. Petron. Arbiter. *Rursus me ad bibendum revocavit*. Suet. *Rursus repetitâ Bithyniâ*. Nugari est his nugis respondere. Academia Parisiensis, quam judicem elegit, facile crederet Ellebori jugere insanabilem esse hæc talia seriò dicentem.

Octavò, Verba sunt Eglisemmii, *Resonantia literarum finalium in vocibus similiter desinentibus in (a) indigna est erudito Poëta*:

———*Tremulâ per stagna liquentia caudâ.*

———*Tot monstra ingentia & horrida visu.*

Non est ergò eruditus Ovidius:

Cetera cum charta dextra loquuta mea est

Parce laboranti pictâ, Dea! leta pharetrâ.

Vanescat culpâ culpa repulsa tuâ.

Et riget amissâ spina relicta rosâ.

Decepta est operâ nulla puella meâ.

Non est eruditus Virgilius, qui canit:

———*Bella, horrida bella.*

Nondò, *Integratorum penè versuum, in aliis auctoribus, & in ipso alibi positorum, mutatio egestatem denotat*: ut horum:

Ætheris

*Ætheris æternas Rector moliris habenas. Item,
Donec sera rubens accendat lumina vesper.*

Hoc eodem argumento accusat Homerum, accusat Virgilium, & plerosque Principes Poëtas. Cogor hîc alatum abjicere, & saniozem precari *Eglisemmio* sanietatem, ne valetudine abutatur scribundis ægris operibus. Ne videar tamen iniquus judex, magnum opus aggredi-
r, & audebo versus etiam Buchanani censoriâ virgulâ notare. Ut sentiant Lectores *Eglisemmium* præterisse locos, qui præferebant speciem peccati; animadvertisse in innocentes. Pronunciabo ego quidem sententiam meis verbis, non meam, sed Momi, qui supersticiosè curiosus est tertium versum superfluum, & dictionis quasi impetuatum.

Ætheris æternas Rector moliris habenas.

In judicio nostro de paraphrasi respondimus.

Deinde, cùm sermo habetur de sententia ejus versus,---
pparent accinctæ auræ: Surgit ille & ait, Apostolum clare, & sine dubio, versum illum interpretari de Cœle-
stibus Spiritibus, qui ab officio dicuntur Angeli: Cu-
jus interpretationem decet nos Christianos venerari &
equi. Non inficior: Poëta tamen sequutus videtur ve-
rum Hebræorum sensum, qui hunc locum de ventis
& igneis meteoris exposuerunt. Sed, pace tuâ, Mome!
verba Prophetæ utramque interpretationem admittunt, &
Theodoretus utramque conjunxit: *Qui facis Angelos tuos
spiritus, & ministros tuos ignem urentem*: id est, facis
ut Angeli ministri tui habeant velocitatem Spirituum, hoc
est, ventorum; & efficaciam ignis urentis: atque ita sint
veluti quidam Spiritus in discurrendo, & veluti quidam
ignes Divini in operando.



Arcturi Jonstoni, *Scoti*, M. D.

Hypermorus Medicafter :

S I V E

Confilium Collegii Medici *Parisiensis*
De Mania G. *Eglisheimii* quam prouidit scripto,

Cui titulus :

Duellum Poëticum pro dignitate Paraphraseôs
PSALMI CIV.

DECERTANTIBUS

G. { *Eglisheimio Medico* } Regio,
{ *Buchanano Pædonomo* }

Quod *Parisiensis* Academiæ iudicio submisit.

Quæ *Buchananæis* Medicafter crimina Musis
Objicit, & quo se jactat inane melos,
Vidimus : & quotquot tractamus *Pæonis* artes,
Hic vates, uno diximus ore, furit.
Est furor hic, sed non qualis solet esse Poëtis,
Pectora Pierio cùm caluere Deo.
Hic *Athamanteas* furias, hic cernis *Orestæ* :
Thyas *Hypermorum* vel *Corybantes* agunt.
Atra sedens illi circum præcordia bilis
Æstuat, & cerebrum corripit omne lues.
Transuersum rapitur mens hoc infecta veneno ;
Et, quæ vix audet fabula, monstra parit.
Se regem putat upilio, bellumque minatur
Horridus, & trepides fulminat inter oves :
Sceptrum est vile pedum, sunt hirtæ purpura pelles ;
Est casa parua domus regia, rapa dapes.

Hic

Hic tacitus captat, sibi visus aranea, muscas;
 Hic, tritici granum se ratus, horret aves.
 Sunt vitreum, sunt qui credant sibi fictile corpus,
 Occursumque hominum, compitaque ipsa timent.
 Vidimus & qui se vitales crederet auras
 Liquisse, & Stygias jam penetrasse domos.
 Non illi conjunx, non illi pignora curæ;
 Nec fas humanas vel tetigisse dapes.
 Talis Hypermori furor est: sese ille Poëtam
 Credit, & Aonium pulsat ineptus ebur.
 Non aliter dulces interstrepit anser olores,
 Aut patulo cornix cum vocat ore Notos.
 Suavius æra sonant Corybantia, suavius illo
 Arcadicum posset plectra movere pecus.
 Blanditur tamen ille sibi, non ipsa *Maronis*
 Carmina, Mæonidæ non putat æqua suis.
 Nec furor has intra potuit consistere metas,
 Ipsa sed indignis conspuat astra modis.
 Te vatum, *Buchanane!* decus, quem suspicit orbis,
 Prisca cui assurgunt secula, dente petit.
 Ille tuis audet deinens oppedere Musis,
 Quodque nequit livor perdere, rodit opus.
 Vatis *Jessiadæ* cultu donata Latino
 Carmina sunt, illo judice, digna focis.
 Hæc linit, hæc radit, nec sævos abstinet ungues,
 Cuncta abolens, numeros substituitque suos.
 His Rex quæsitus patronus, *Gallia* iudex,
 Testes, quot populos maximus orbis habet.
 Proh pudor! excussis vesana licentia frenis
 Jam ruit, & scelus est quod fuit antè furor.
 Spernitur & fœdis violatur charta lituris,
 Quam pinxit radio *Cynthius* ipse suo.
 Quodque Deo cecinit plectro meliore *Camœna*,
 Impia nunc audet radere lima melos.
 Rex sacæ exutum queritur se Regis amictu,
 Et *Jessæa* suo plectra carere sono.
 Nec monstrum hoc parcit patriæ, patriæque Parenti,
 Ista quibus demens scripta legenda dedit.
 Si qua *Caledonio* facta est injuria vari,
Scotia! te, Regem tangit & illa tuum.
 Te penes illius sunt incunabula, ab illo
 Parva licet, magnum, *Scotia!* nomen habes.

Nil tuba Mæonidæ, nil magni Musa Maronis
 Furta Deum præter cantat, & arma virum.
 Inspirat melior *Buchanani* pectora *Phæbus*,
 Et facit ut puro nectare vena fluat.
 Ille Dei æterno modulatur carmine laudes,
 Aptat & *Hebrææ* plectra Latina *Lyræ*.
 Eruit è tenebris idem tua gesta, ducesque,
 Quis Latium, quis nil *Græcia* majus habet:
 Tuque, Parens patriæ! nisi deliquisset in uno,
 Quid te de vatem non meruisse putas?
 Imbuit ille animum studiis, & Regibus olim
 Invia Pieridum per juga rexit iter.
 Finxit & os tenerum puero, quo pectora mulces,
 Quosque regis populos non finis esse feros.
 Os dedit, & dignos formavit principe mores,
 Et docuit quæ vos sæpè latere solent.
 Quid Rex privato, quid distet Rege tyrannus;
 Quid populus Regi debeat, ille Deo.
 Hoc duce tu felix; ut Rex sis, sanguinis auctor;
 Ut Reges inter maximus, ille dedit.
 His tamen obtrectat meritis Iatrator Anubis,
 Mixtaque vipereo felle venena vomit.
 Est furor hic certus, sunt certi signa furoris:
 Quis referat tanti quæ sit origo mali?
 An quibus armatur flammæ objecit *Erinnys*,
 Et quod *Gorgoneo* sibilat angue caput?
 An saniem eructans infecit membra veneno
 Tartareas monstrum quod cubat ante fores?
 Fortitan incautum rabie canis acta momordit,
 Aut fera quæ molli flamine velat aquas.
 Forfan equæ lentum quod stillat ab inguine virus,
 Forfan *Echidnæum* causâ furoris erat.
 Aut curæ vigiles, aut dulcis copia *Bacchi*,
 Aut qui corda ferus sæpè venenat amor.
 Fortè etiam tetigit mala gramina; fortè viator
 Aridus insano proluit ora lacu.
 Vel gelidus duro concrevit frigore sanguis,
 Vel miser æstivo sub cane fecit iter.
 Distrahit in partes animum vis cæca furoris,
 Hæc tamen est vero proxima causâ mali.
 Fortè canis rabidi *Batavus* puer ore petitus,
 In rabiem infelix actus & ipse fuit.

Vidit Hypermorus, Batavis tunc hoſpes in oris,
 Et medicâ ſævam depulit arte luem.
 Fama volat: Medici ad limen fluit undique vulgus;
 Undique lymphati, turba timenda, ruunt.
 Haud aliter circum glomerantur teſta volucres,
 Non exſpectato cum ruit imbre Notus.
 Pars fremit ante fores, pars intra limina, terror
 Hinc atque hinc, horret tota furore domus.
 Parva *Lycaonio* rumpuntur teſta tumultu,
 Jurares Stygias hîc habitare canes.
 Quâcumque ingreditur, rabie gens effera ſemper
 It comes, & medici claudit utrumque latus.
 Hic ululat, latrant alii, fluit omnibus ater
 Ore cruor, paſſim ferrea vincla crepant.
 Hinc eſt prima mali labes, hinc prima furoris
 Semina, contracta eſt tranſitione lues.
 Sic lepra, ſic diræ ſpargunt contagia peſtes,
 Et ſcabiem toti fert ovis una gregi.
 Tange luem, Veneris quæ turget nomine, tactus
 Damna dabit; lippos adſpice, lippus eris.
 Sed morbi quid ſigna juvat, quid dicere cauſſas,
 Pæoniâ tolli ſi nequit arte malum?
 Proh dolor! iſta lues non eſt medicabilis herbis,
 Ipſa ſuum quamvis mitteret Ida nemus.
 Cum ſubeunt, pelli poſſunt medicamine morbi:
 Tollere naſcentes quælibet herba poteſt.
 Aſt ubi facta mora eſt, ſumunt à tempore vires;
 Nil tum dictamnus, nil panacæa juvat.
 Nec quamvis eſſet caput hoc ſanabile ſuccis,
 Annueret medicæ Cynthius auctôr opis.
 Quam patitur vates, facta eſt injuria *Phæbo*;
 Hic memor, & forſan criminis ultor erit:
 Non impunè tulit vati quod fecit Atrides,
 Et didicit longas Numinis eſſe manus.
 Non tamen hic, quamquam ſpes eſt excluſa ſalutis,
 Æger Apollineam ſpernere debet opem.
 Quas miſer exſpirat, fugientes naufragus auras
 Captat, & in mediis brachia jactat aquis.
 Tollere ſi tantos neſcit medicina furores,
 Ne poſſit virus creſcere, fortè dabit.
 ERGO, age! Hypermori curam qui ſuſcipis, omnem
 Tolle moram, & promptam, ſi potes, adfer opem.

Quadrupedem primò constringens, vincula centum
 Injice, captivi qualia ferre solent.
 In facinus ruit omne furor, nisi compede frenes;
 Non leo, non tigris plus feritatis habet.
 Ipsa furens natum discerpsit *Penthea* mater;
 Te patris obtrivit, parve *Learche*! furor.
 Se quoque *Leucothoe* cum nato perdidit, *Ajax*
 Ipse suo demens sanguine tinxit humum.
 Nec vinclis pressisse fatis: nocet halitus oris,
 Deterius nullum virus *Echidna* vomit.
 Abde catenatum semoti carceris antro,
 Lux ubi nulla micat, vox ubi nulla sonat,
 Ipse Deus superis *Furias* secrevit ab oris,
 Mersaque sub terras tecta, laremque dedit.
 Expedit & tortis humeros & terga flagellis,
 Et latera & geminas sæpè secare nates.
 Quod caput infestat virus dolor omne revellit,
 Corrigit & mores, & fera corda domat:
 Hic facit ut sævæ mitescant tigridis iræ,
 Et sua crudelis fulmina ponat aper.
 Protractum è tenebris interdum merge profundo,
 Ut lavet infanum sæpiùs unda caput.
 Conspectum nomenque horret lymphaticus undæ,
 Hic tamen illius sæpè levatur ope:
 Ferro etiam cohibenda lues: incidere venas
 Ne dubita, nec te pigra moretur hiems.
 Hæc ope, quo turgent, membris expellere virus,
 Aut oneris saltem parte levare potes.
 Vulnere tergemino cubitus tundatur uterque,
 Ut fluat ex omni viscere tetra lues.
 Sed quia summa petens mentis furor occupat arcem,
 Præ reliquis ferrum postulat iste locus.
 Quæ frontem dirimit mediam tibi vena secanda est,
 Et quæ ponè latens nomine puppis habet.
 Quæque oculis simul expirant & naribus ignes,
 Et cava quæ circum tempora utrimque micant:
 Hæc quoque quæ linguam succo loliginis atræ
 Imbuit, auxilium non leve secta dabit.
 Si quid adhuc mixtum terrenâ fæce supersit,
 Hoc procul è cerebro virus ad ima trahe.
 Quæ latet in gemino tundatur poplite vena,
 Quæque pedes imos malleolosque rigat.

Præ reliquis aperire juvat, quæ sponte tumentes
Virus ab extremo podice sæpe vomunt.
Has refert ferro, vel amaris illine succis,
Vel mordace cutem pumice sæpe frica.
Aut si fortè latent, exfugat hirudo cruorem,
Aut aloes æger pocula plena bibat.
Quinetiam extremis quadrant extrema, furorem
Tollere si ferro non potes, igne doma.
Ure locum capiti cervix ubi jungitur, ure
Brachia, mox geminum crus & utrumque femur.
Sic grave septeno manabit flumine virus,
Et quod non possunt singula, multa dabunt.
Sunt hæc magna quidem; verum est præsentius istis
Auxilium, quoties mens agitata furit.
Sponte sua nemorum ficcis in collibus herba
Nascitur, Aoniis non malè nota jugis.
Huic folium platani, radix cepæ æmula, caulis
Est ferulæ, cnici semina, flosque rosæ.
Hæc, reliquas cum condit hiems, Aquilonia ridens
Frigora, brumali sub nive surgit humo.
Grata peregrinis est coturnicibus esca;
Creditur & ventrem sæpè ciere capris.
Repperit hanc primùm, si vera est fama, *Melampus*;
Factus & est medicus, qui modò pastor erat:
Hæc ope, cum furerent sævæ Junonis ob iras
Prætidæ, hunc mentem restituisse ferunt.
Hæc animi instaurat vires, hæc frena furori
Injicit, & toto corpore virus agit.
Helleborum Graiis, Veratrum est dicta Latinis,
Et sua qui invenit nomina ferre dedit.
Quod nigra sit radix, nigrum cognomine dicunt:
Cetera, queis radix albicat, alba vocant.
Hinc ægro quærenda salus: Quibus undique vestes
Helleboros, centum sub juga coge boves.
Silva *Caledoniæ* lustranda, & *Grampius* ingens;
Vix, quot opus, plantas insula tota dabit.
Omnia vestiga loca, radicesque potentes,
Et folia & flores, seminaque ipsa lege.
Cuncta manu medicâ miscens simul exprime succos,
Quos bibat ægrotus, nec sine fæce bibat.
Huic cyathos, seu tristis hiems, seu torreat æstas,
Tres veniente die, tres abeunte dabis.

His sine nec Cererem libet, nec quas dabis undas;
Et quascumque capit, condiat inde dapes.
Auribus hos etiam instillet, vel mansitet ore
Radicem, & fumos naris obesa trahat:
Nil opus hîc tentare caput fuligine pæti;
Hellebori fumus quàm magis aptus erit?
Hic dabit auriculis (si quas habet æger) inaures,
Hic, quæ promeruit carmine, ferta dabit.
Et dabit armillas, & longa monilia collo;
Ne tamen his sese strangulet ille cave.
Quod si cura comæ est, veratri pulvere crines
Spargat; odor florum si juvat, inde petat.
Farciat hic capitis malesani tegmina pulvis,
Et vestem, & si quæ stragula lectus habet.
Denique Hypermorum circumque, infraque, supraque,
Helleboros præter nil patiare meros.
Miscendum nisi fortè illis Cereale papaver,
Quæque natat mediis alga palustris aquis.
Aut quæ Lethæo liventia poma veneno
Educat, & stirps est vertice, subtus homo.
Helleborusve alter, vel alyssum & ruta canina,
Et faba quæ porci fertur, & uva lupi.
Et cerebri quodcumque potest restinguere flammæ,
Quidquid & in somnum lumina fessa trahit.
Sed si fortè caput non est sanabile succis,
Quos creat Arctoo terra sub axe jacens.
Quod juvet, externis æger sibi quærat in oris,
Luce quibus Titan dat meliore frui.
Hinc procul, Herculeo perquam vicina sepulcro,
Objacet Euboicis insula parva jugis:
Insula parva quidem, sed foeta potentibus herbis:
Sponte suâ hîc felix omnia fundit humus.
Hîc ver assiduum; non urunt frigora terras,
Nec canis Icarîi rusticus ora timet.
Mens vegeta indigenis, hilaris frons, corpora sana,
Nulla lues illis, nulla venena nocent.
Non canis hos rabidus, non lædit aranea morfu;
Vipera nec vitam quo tueatur habet.
Anticyram dixêre olim; ditissima tellus
Helleboro; has solas insula jactat opes.
Huic noster facie est similis, sed viribus impar;
Virus abest, nostro quod solet esse comes:

ſon ſenibus, non ille nocet puerilibus annis,
Nec cœnis hunc, gemino cum furit igne, vetat.
Cetera ſi vincit rabies, has æger in oras
Naviget: eſt ipſo fonte levanda ſitis.
Quæ nullo expelli poterat medicamine, Druſo
Herculeam tellus depulit iſta luem.
Ilic quoque qui magni Zenonis ſcripta reſellit,
Helleborum prudens non ſemel antè bibit.
Atque utinam his æger purgaſſet pectora ſuccis,
Ante Deo ſacrum quàm violaſſet opus!
Liquiſſet mentem furor, aut moderatior eſſet;
Hei mihi! nunc ſeram ferre pœramus opem.
Mœnia creſcendo cœpit dementia vires,
Vix tribus Anticyris cederet iſte furor.
Ne tamen hîc animum deſponde: vota ſuperſunt:
Quæ dare non poſſunt cetera, poſce Deos.
Eſt locus Ardena in media, ſecretus ab omni
Voce, niſi ſi quæ murmura fundat avis:
Deſuper horrendus nigrâ formidine lucus
Imminet, & totum ſurripit umbra diem:
In medio veteri circumdatur area muro;
Hîc ſtat in exigua ligneus æde Deus:
Huberti cognomen habet. Non parva poteſtas
Numinis, hîc quamquam marmora nulla vides,
Res hominum vârias ſuſtentans Jupiter olim
Ingemuit, dorſo cùm grave ſenſit onus.
Tum primùm reliquis, ad ſeſe in teſta vocatis,
Partem oneris fertur diſtribuiffe Diis.
Cunctis dat quod agant: Latio hic favet, alter Iberis;
Tutelare Getes numen, & Indus habet.
Sunt quibus artificum curæ eſt genus omne; patronum
Fur habet, & leno ſacrileguſque ſuum.
Abluit hic ſtrumas, alter collyria lippis
Illinit, hic dentes eruit, ille polit.
Et canis & vulpes & habet ſua numina porcus;
Suntque quibus curæ muſca, cicada, pulex:
Singula quis numeret? Nemo indotatus abivit,
Munera reſtabant diſtribuenda duo.
Nemo qui viduas thalamis prohibere ſecundis,
Nemo qui rabiem pellere poſſet erat.
Hæc dum detrectant omnes, Hubertus aſello
Vectus adeſt, huic mox optio iacta ſeni eſt.

Eligo posteritus, labor hic minùs improbus, inquit,
 Utiliorque aliis, utiliorque mihi.
 Ex illo Huberti passim increbescere numen,
 Dignaque cœperunt surgere templa Deo.
 Hîc patria, hîc sedes, hîc magni numinis ara
 Inter inhumanos conspicienda lupos.
 Undique dona ferens secum genus omne furentum
 Huc ruit, & multa cum prece poscit opem.
 Non tamen extemplò linquit furor, antè sacerdos
 Ter caput irrorans crimina lustrat aquis.
 Ter niveam indutus vestem procumbit ad aram,
 Raucaque ter mussans murmura farre litat.
 Tunc ante ora Dei vinclis circumdatus æger
 Sternitur, & supplex oscula figit humo.
 Hîc fovea est vicinâ Deo, caput abdit in illam;
 Pars latet anterior, posteriora patent.
 Hæc fecat antistes virgis, & verberare denso:
 Tota venenato terra cruore madet.
 Hinc ubi protractus supplex advolvitur aræ,
 Terque Deum inclamat, ter tremit ara sono.
 Tum crucis adspicies signari stigmatè frontem,
 Sindone quam purâ turba verenda tegit.
 Hæc stola sacra Dei est, nullo violabilis ævo,
 Secta licet toties, quæ fuit antè manet.
 Intereâ tolerare miser jejunia venter
 Cogitur, herba famem pellit, & unda sitim.
 Hæc ubi sustinuit rabidus, mirabile dictu!
 Mens & judicium, quod fuit antè, redit.
 Hæc & Hypermoro quamvis via longa terenda est,
 Hoc sanare caput numina sola queunt.

VIRTUS NOS ORNAT.



A D

D. G. Barclayum Poetam, Medicum,
Med. & Philologiæ Professore,

Philopoetæ Scoti.

ADimonuit si fortè tuum deponere plectrum
Phœbus, & ad medicæ te vocat artis opus;
Hoc facit is metuens proprium ne perdat honorem,
Cum tanti tua sit æmula lingua Dei.
Sume igitur citharam, cum sis jam factus Apollo
Noster, & invidiam sperne dolosque Dei.

In Eundem.

BEza & Turnebus, Scaliger Pater atque Josephus
Te, Buchanane! super fidera laude locant.
Frustrâ igitur verbis famam detraxerit ullus
Nec Graio tinctis Ausoniove sape.
Quid Stephanum referam? Tastæum? quidve Melissum?
Quidve Europa alios quos spatiosa tenet?
Queis erit æternum Buchanani nomen honestum,
Fulgens Phœbæis ob meritum titulis.
Hi Buchanano omnes vivo numerantur amici,
Dum valuit felix reddere dona manu.
At, Barclaye! manes obitum post fidus amicus,
Abstergens nitido crimina falsa stylo.
Nec tantum egregius sentit tua munera Vates:
Sed cara avertis dedecus à patria.
Romulus & Cossus, vel non Marcellus opimis
Ornati spoliis te potiora gerunt.
Tollica perpetuo domus est celebranda canore,
Ex qua tam docti profilière viri

JACOBUS BALLIOLUS.

In Eundem.

HOc vetus est dictum, Medici! præbete medelam
Vos vobis, maniam non levat arte suam

H

Doctor

Doctor Egliffemius: Medicastrum quis putet arte
 Præstare in medicâ? quis feret alter opem?
 Rem magnam aggredieris, Medicorum gloria! gentis
 Et decus, & Clarii gloria magna chori,
 Mi Barclaye! tuâ poteris medicabile vulnus
 Arte levare, animi quis levet arte luem?
 Tollere si poteris, fueris mihi magnus Apollo,
 Fama perennis erit, si potis arte leves.
 Ad limam revocas incondita carmina Mævî,
 Qui tentat Davidis ore ciere modos:
 Ad vivum refecas; proprio te armabit Iambo,
 Si pergat rabidus rodere dulce melos
 Dente Theonino: si interstrepit anser olores,
 Morte Lycambæâ crimina tanta luet.

G. W. Neaberdeanus.

Ad GEOR. EGLISEMMIUM.

TUnè sacros audes infensâ voce Poëtas
 Spernere, Pierio non benè grata choro?
 Saxa, ferasque truces cantu Rhodopeius Orpheus,
 Et potuit Stygium perdomuisse canem.
 Captus Arioniâ Delphin dulcedine vocis,
 Illæsum placido tergo vexit onus.
 Mellifluo Tyrios Amphion carmine montes
 Transulit, & Lyricâ mœnia struxit ope.
 At tu si pergis Vates contemnere, dicam;
 Caucaiseis faxis durior, esque feris.

In Eundem.

Quem Galli, Hispani, Germana ac Itala tellus
 Vincere non poterant, tentat Egliffemius:
 Impar congressus, dum Aquilam certare Leoni
 Cernimus implumem: mox subit inde pudor.

Imparilitas.

UT sublimè volans tenuem secat aëra Falco;
 Ut pascuntur humi Graculus, Anser, Anas:
 Sic summum scandit super æthera Buchananus:
 Sic scit humi tantùm serpere Egliffemius.

In Eundem.

Longævum, priscisque parem, summumque Poëtam,
 (Illius opposito nomen in orbe viget)
 Imberbis Medicus, qui non prius induit arma,
 Horrida (quid referam?) Martis ad arma vocat.
 Sed fuge; te insequitur magni levis umbra Poëtæ:
 Si sapias, ista manu tela tremante cadant.
 Dum fugis hanc pleno vocem da pallidus ore,
 Imberbi Medico parce, Poëta! tuo,

In Geor. Buchananum Scotum

EPITAPHIA & POEMATA.

Josephi Scaligeri Epitaphium.

Postquam laude tua patriam, meritisque beâsti,
 Buchananè! tuis solis utrumque latus:
 Contemtis opibus, spretis popularibus auris,
 Ventosæque fugax ambitionis, obis,
 Præmia quina quater Pisææ functus olivæ,
 Et linquens animi pignora rara tui:
 In quibus haud tibi se anteferent quos Itala Vates
 Terra dedit: nec quos Gallia mater alit,
 Æquabunt genium felicitis carminis, & quæ
 Orbis habet famæ conscia signa tuæ.
 Namque ad supremum perducta Poëtica culmen
 In te stat, nec quò progrediatur habet.
 Imperii fuerat Romani Scotia limes:
 Romani eloquii Scotia finis erit,

Andree Melvini in Eundem.

Ergò silent magni Buchanani in funere Musæ?
 Nec Vatem Aonidum flet pia turba suum?
 An secum Buchananus habet montem, unde Camœnæ
 Devolvunt mœstos murmura trunca modos?
 An secum Buchananus habet fontem, unde Poëtæ
 Pieriis poti collacrimantur aquis?

Aonio frustra quærentur vertice Musæ:
 Castalio frustra è fonte petuntur aquæ.
 Pro monte est Cælum, pro fonte est Christus: utrumque
 Et Christum & Cælum nunc Buchananus habet.
 Haufisti hinc sacros latices, Divine Poëta!
 Fudisti hinc summo carmina digna Deo.
 Hauriat hinc quisquis Buchanani in funere mœret;
 Ut Vatum fundat carmina digna Deo.

Joannis Jonstoni in Eundem.

SCotia quem genuit, fovit, cum Pallade Musa
 Diva beat, tanto sese hospite Gallia jactat,
 Ingenisque ingentem Tellus miratur & Æther,
 Seu canit Historiam, seu grandi carmina plectro:
 Quem decorant Reges, qui ipsos decorat quoque Reges
 Et Solymæ & propriæ gentis: Quique entheus almi
 Facta Dei, laudesque virum, qui sidera dixit;
 Exiguo magnus sub cespite Buchananus
 Hic Vates recubat. Nomen viget alite famâ,
 Atque orbem immensum complet. Jamque arduus ipse
 Cælum habet, & gaudet permixtus Cœlitibus Diis.

** Joannis Adamsoni de cespititio Georgii Buchanani tumulo Cœmien.*

MArmorum cur stant hic omni ex partæ columnæ,
 Signaque ab artificum Dædala facta manu?
 Ut spectent oculis monumenta insignia vivi,
 Per quæ defunctis concilietur honos.
 Talia nonne etiam debet Buchananus habere;
 Doctius aut melius quo nihil orbis habet?
 Gloriotas vivus qui contemnebat inanes;
 An cupiet Divus se decorent lapides?
 Illis fas pulcro nomen debere sepulcro;
 Qui nil quo melius nobilitentur habent.
 Per te olim tellus est nobilitata Britanna,
 Et decus es tumulo jam, Buchanane! tuo.

Julii

* Ejus curâ Buchanani Cranium de sepulcro erutum in Bibliotheca Academice Edinburgensæ adservatur; rotundius quidem & tenuius, ut lux per id transpareat, D, Rob: Sibbaldus, Com. in vitam Buch, pag. 62.

*Julii Cæsaris Scaligeri de Georgii Buchanani car-
minis venustate poëma.*

HEri legebam nuper allatum mihi
Sapidum, tenellum, molle carmen, aureum,
Intelligendum vel puellis omnibus ;
Si splendor, atque puritas, decus, nitor,
Animum subire luculentum ullum queat :
Intelligendum non facilè doctis Viris,
Nisi mentis excitetur ardor efficax,
Sententiarum propter ardorem merum.

De me ut loquaris, ut ego de me ipso loquar,
Intelligebam primulùm ut simplex puer :
At ubi Vir esse, ubi esse volui intelligens,
Vocis serenâ luce perculsus tuæ,
De intelligenti intelligens nihil fui.

Hoc te volebam sic monere : ne petas
Me velle respondere. Non enim audeo.
Hocque esse respondere, non respondeo.

*Joannes Rayus, Ludimagister Edinburgensis, irri-
tatus Scaligeri de Virgilio versus, Buchanani
Divinitatem inaccessam admiratur hoc carmine.*

Mirande Vates ! fons beati carminis !
Latina Siren ! patriæ
Illustre decus ! & mel leporis Attici !
Doctissime Nepos Romuli !
Latinæ Athenæ ! Flacce duplex ! & triplex
Homere ! mens Poëseos !
O absque vitio monstrum ! & absque fluctibus
Pontum profundum ! nubibus
Cælum absque purum ! ô posteris miraculum !
A fonte Musas Pegasi
Primus canoras qui advocâsti ad inclitæ
Sionis hymnos aureos :
Venamque ditem Cœlitum qui Principi
Laudando sic indulseris.
Calore mentis Cælum oberrans entheo,
Solis labores, sidera,

Lunæque cursus, indicâsti ut indiges
 Mortalis inter Cœlites.
 Sic prorsâ, vorâ fundis auspice alite,
 Aptans cothurnos focculis,
 Ut artium omnium Deus & auctor unicus,
 Et meta naturæ cluas.
 Te voce qualis, quantus es depingere,
 Nemo potest nisi Deus.
 O si perenni fons benigni fluminis
 Fluore nostrates riget!
 Rerum ut Parentem ter beato carmine
 Cum laude, teque concinant,

*Joannis Posthii Archiatri Palatini in Buchanani
 Paraphrasin Psalmorum Carmen.*

Sidereum adscendit nuper Buchananus Olymum,
 Vocante Rege Cœlitum:
 Mistus ubi sanctis jam Vatribus, aurea templa
 Cantu suorum carminum
 Mellifluo replet, cœtu admirante piorum,
 Stupente & ipso Davide:
 Qui, meritò Superis, ait, ista probantur & orbi;
 Ter maximi laudes Dei
 Clariùs ac meliùs referentia, quam mihi quondam
 Modulata Hebræâ barbito.

Pauli Melissi Franci Carmen de Eadem.

Diversos multi variè elicuère sonores;
 Aptando Latæ plectra Syriâ lyra.
 Barbiton hic, citharæque fides, chelyn increpat alter;
 Et suus ex merito quemque secutus honos.
 Quod, Buchanane! canis, modulamina cetera vincit;
 Ceu reliquas liquidæ Daulia vocis aves.
 Et quisquam dubitet, plenis edicere buccis;
 Hæc superat cunctas buccina clara tubas?

Henrici Stephani de Eadem.

ECce ! Caledonia Maro, Naso & Flaccus in ora,
Pro Jove nunc discunt posse sonare Jovam!

Ejusdem de Eadem.

DAvidis hîc corpus, sed tectum veste Latinâ,
Quæ picta est Flacci, picta Maronis acu.

Incerti Auctoris de Eadem.

LUdicra Christicolæ ponant: Æneïde majus
Exit opus, celebri majus & Iliade.

*Theodori Bezæ in Georgium Buchananum Car-
men.*

AUdieram Gottom, & quos Septentrio quondam
Barbarus immanes ultricem in numinis iram
Effudit populos, sceleratæ mœnia Romæ,
Et quæcumque prius spoliato ex orbe sacrârunt
Imperii fastusque sui monumenta Quirites,
Partim æquâsse solo, partim injecisse voraci
Consumenda rogo : ut quæ olim fastigia Cœlis
Intulerat, septem attollens in nubila montes,
Nunc prostrata suis celestetur Roma ruinis.

At non ingenium solers, linguamque disertam,
Æternis quibus illa opibus tot secula felix
Roma olim cunctas inter caput extulit urbes:
Hæc, inquam, reliquis longè anteferenda tropæis,
Non equidem audieram Gottomve, aliasve feroces
Quas procul Oceanus gentes glacialis inundat,
Noscere, mirari nedum potuisse : rapaces
Barbarus ut prædæ istius dulcedine captus
Injiceret Musis unguis, quas deinde rigenti
Captivas sic diligeret coleretque sub Arcto,
Ut medias inter glacies Boreæque sonori
Pectora nata gelu Musarum ardore calerent.
Attamen hoc factum si quis dubitaverit, idem

Vel medio lucere die Titana negarit,
 Vel te virtutesque tuas ignorat ineptus,
 Aonidum immortale decus, Buchanane! sororum.
 Namque tibi extremæ propè nato ad littora Thules,
 Os tenerum Aonides sic formavêre puellæ,
 Sic Graio pariter melle illevêre labella,
 Pectora Romano sic implevêre sonore,
 Ut te Roma, licet Scotorum ad littora natum,
 Æquoreas inter cautes atque horrida Cete,
 Tamquam urbe in media civem sibi vindicet ortum:
 Inde autem magni te Mantua clara Maronis
 Juret stirpe fatum; at, contrà, Verona Catulli:
 Afferat hinc Venusinus, & hinc Pelignus: & inde
 Corduba te repetat: repetat quoque Bilbilis inde.
 At Vatem interea Buchananum Scotia jactet
 Una tuum, felix tantis natalibus una.
 Maeste quoque ingenii tantâ virtute, Georgi!
 Æternùm, & Latii spoliis ornatus opimis,
 Invidiâque omni major, Buchanane! triumphâ.

Andreas Melvini Carmen in Eundem.

MUltum oro Phœbi numen, doctasque sorores,
 Dent mihi dem quæ te carmina digna tibi.
 At Phœbus nequidquam audit, mutæque sorores,
 Et concreta rigent mollia corda gelu.
 Nil Phœbus sine te, sine te nil turba sororum,
 Unus tu des te carmina digna tibi.

Incerti Auctoris in Eundem.

ILlic imperium fore jactavere Quirites,
 Effet ubi sedes, Scipio magne! tua.
 Illic Pierides, illic erit alma poësis,
 Illic Phœbus erit, quâ Buchananus erat.
 Cernis ut ad Scotos migrent, Helicone relicto,
 Laurigeræ tanti Vatis amore Deæ?
 Neque ullo reditûs spes ævo est: Ergò vocabo
 Scotum, Heliconiaden, ane Caledoniden?

P S A L M I CIV.

Paraphrafes Poeticæ fex :

Auētoribus totidem SCOTIS.

Pfalmi CIV. Paraphrafis Poetica :

Auētoꝛe *DAVIDE HUMIO Theagrio.*

Eia! anima ingentem Jehovah cane: fidera fupra
 Aurea, fupra apices denfos atque ardua rerum,
 Te qualis, te quantus agis, Deus! ò decus alium!
 O majeflratem indutum! tu lucis amiētus
 Lumen inacceffæ: tu cœli aulæa fupernè
 Piēta, decorem altum & rutilas fpirantia flammæ
 Infinuas, curvasque cavum teftudine in arcum.

Tum fubtus liquidis fignat cœnacula lymphis
 Aëra per vacuum, celeres ubi nubila curfu
 Ceu currus frenatque agitatque, Eurique fonantis
 Alis vectus ovat: volat ille faceffere promptus
 Imperium, totumque ruens quatit imbribus orbem.

Non rapidæ flammæ, non miftus fulgure turbo,
 Non grando, incanæque nives, nimbique fonori,
 Caffa miniſteriis: certant maria æther & ignes
 Obfequium properare fuum. Stat mole fuâ vis
 Immenſæ telluris, & inconcuſſa per ævum
 Fundamenta premit, vaſtam quam gurgite quondam
 Incubuit fuper unda premens collesque tenebat:
 Cùm fœta imperiis vox majeflate tremendâ
 Intonat, & pontum gravis increpat: ilicet ille
 Accelerare fugam perque alta cacumina montium,
 Perque cavas valles, juffo & fe condere clauſtro.
 Nunc ſtupet oppoſitis metis, frenumque tremiſcit

Conscius, & fremitu ciet indignantia longè
Æquora, terrarumque minax frustrà imminet orbi.

Interea cæcis laxans è fontibus amnes
Vallibus immittis : illi in declivia lapsi
Gramineos inter montes & amœna vireta
Volvunt agmen aquæ dulcis : quo secla animantum,
Edoctusque onager silvas, damæque fugaces,
Ponit & ipse sitim leo. Juxtà personat ingens
Per ramos turba alituum, raucisque fluentis
Responsant streperæ & certantia saxa laceffunt.

Nec minùs & furvis glomeratos nubibus imbres
In riguos passim colles saturataque rura
Desuper infundis : gravidâ tum protinus alvo
Semina turgescunt arvis, foetusque sub auras
Herbarumque ferunt segetumque : hinc pabula læta
Armentis gregibusque : hinc foecundissima messis
Ufibus humanis : spumat vindemia mustum
Plena domans curas, pinguique nitescit olivâ
Vultus, ac alma famem fugat & multo ægra labore
Corda fovet sêges, atque animos virefque refulcit.
Quæque per intactos saltus nec jussa sub auras
Fronoso surgit Libano cedrusque, cupressusque,
Et domitura abies pontum : nunc plurima ramis
Tecta avis, ingentes posuitque ciconia nidos.
Hinc gibbosa altum tollentes culmina montes
Fronosum supra Libanum cedrosque comantes,
Quantum illæ corylos superant lentasque genistas.
Rupicapris habitata rigas præruptaque echino
Saxa cavas latebras, tutis horrentia dumis.

Luna vices rerum variataque tempora jussu
Fertque refertque tuo, notumque iter auricomus sol
Decurrit, tritumque sua in vestigia volvit.
Atque adeò, ut furvam terris nox intulit umbram
Humida, prorepat latebris fera, & acer in iras
Insurgens prædæ infrendet leo, murimuraque ore
Dat rauco supplex cœlo poscentia victum :
Ast, ubi sol retulitque diem radiisque reluxit,
Conduntur silvis, lustroque inmania membra
Componunt : redit in campos operamque resumit
Turba hominum : juvat hesternos instare labores,
Molirique novas curas : dum rursus Olympum
Volvat & invitos adducat vespera somnos.

Sed quis tanta & tot manuum hæc opera alta tuarum
 Exæquare queat fando? tu cuncta profundo
 Prudens consilio libras: tibi fœta bonis tot
 Stat tellus. Ipsum hoc ingens quod cernimus æquor
 Porrigere in latos liquentia brachia campos
 Pinnigerum ostentat pecus: hîc repentia densos
 Trudunt se parva in cuneos, hîc vasta per undas
 Tolluntur pavidisque adnant animantia nautis:
 Nautis veliferas ausis armare carinas,
 Et versare undas remis & currere vento.
 Hîc manibus fabricata tuis balæna, ferarum,
 Et quot marmoreo visuntur monstra profundo,
 Informi exsultat lusu, regina: videre est
 Findere spumantique iterum se volvere sulco
 Nerea, lambentem famulis vestigia lymphis.

Jamque solum quodcumque fovet, latèquæ liquenti
 Æther & unda sinu, diffusique ambitus orbis,
 Suspicit, atque polo pastum expectantia figit
 Lumina maturum poscens: tu scilicet unus
 Cum das, colligere illa: tibi ut manus ampla benignè
 Panditur, implenturque bono & saturata quiescunt.
 Sin vultum paulò avertas, turbata fatiscunt.
 Si revocas animam, expirant priscosque redacta
 In cineres abeunt. Iterum per membra per artus
 Miscet ubi insinuans diæ se spiritus auræ,
 Quàm multâ rediviva propagine semina rerum
 Fœcundas! senii squalorem abstergis, & orbi
 Restituis viridesque annos lætamque juventam.

Ergò Deum sua facta canant, laudemque per ævum,
 Quàm vultu accipiat lætus dignetque sereno,
 Dent generis memorem, magnæque haud infœcia dextræ!
 Ni faciant, tremit adspectu conterrita tellus
 Vindice, diffugiunt montes nubemque volutant
 Fumiferam cœlo pavidi, & juga pinea nutant.

Illum ego, dum vitam indulget, dum spiritus artus
 Almus agit, dum spirat adhuc, quiscumque locus me,
 Quæ me cumque trahit spes aut fortuna, sub astra
 Usque feram, nomenque ingens, laudemque, decusque,
 Justitiam, canamque fidem, largumque, bonumque
 Mirabor, primusque canam: rapit acer Olympo
 Ardor, & audaci sistit super æthera plantâ.
 Jam contemnere opes libet & fastigia rerum,

Subque pedes dare: jam solum te pectus anhelum
Spirat, agens dulces curas: tibi gestit & uni
Exsultans fovet in trepidis cor gaudia fibris.

At scelerum turbas, invisa exosæque cœlo
Nomina, quâ latis exsultant impia regnis,
Mecum aude exitio diræque adscripta ruinæ
Credere, nec lictura suis vestigia terris,
Quisquis es: immensumque Deum cole magnus: & illi
Immensas grato mecum fer pectore laudes.

Psalmi CIV. Paraphrasis Poetica :

Auctore *THOMA RHÆDO.*

Eia! age, divinos, mea mens! celebremus honores!
Nulla tuas æquant, Genitor! præconia laudes:
Te tua majestas, te formæ æterna juvena,
Dives inaccessæ vestit te purpura lucis.
Tu gemmata tibi tendis conopea cœlos,
Pensilibusque hædere jubes cœnacula nimbis.
Tu nubes auriga premis, ventosque jugales
Circumagis, vastumque truces per inane fatigas.
Nunciat aura levis tua jussa, sed impiger ignis
Exsequitur, lictorque sacras ulciscitur iras.

Stat tellus immota loco, ne concidat in se
Undique nixa cadit: fuit olimmersa profundo,
Lugubri montes pallâ cùm textit abyssus.
Sed tua vox disjecit aquas, tonitruque paventes
Defiluere jugis: stagnat convallibus humor,
Ima petens: spumæ rorantia littora quassant,
Ne redeant terrasque tegant, hîc terminus hæret.

Tu trahis illimes montana ab origine fontes,
Quos pecudes & prata bibant & secla ferarum.
Hîc ubi natales mulcetis carmine ripas,
Et viridi celatis, aves! sub tegmine nidos.
Quinetiam montes, te dante, è nubibus almo
Rore madent: te fassa Patrem parit omnia tellus,
Gramina jumentis, ægris mortalibus herbas,
Et dulces genus omne cibos: ut pectore curas

Vina fugent, pinguique oleo frons læta niteſcat,
Et guſtata Ceres feſſos corroboret artus.

Te plantante, virent ſilvæ: domus alta volucrum
Cedrus, odoratâ Libanum quæ protegit umbrâ,
Cuique piam credit ſobolem crotaliſtria pinus.
Perſultat, duce te, rupes, fraudeſque ſequentûm
Cerva fugit, ducitque hiſtrix ſub pumice ſomnos.

Tu ſtatâ multiplici designas tempora lunâ,
Quadrifidumque rotas ſolis decurſibus annum.
Ut verò aſtrifero textit nox omnia peplo,
Deſtituunt ſua luſtra feræ, catulique leonum
Te, Deus alme! vagis prædam rugitibus orant.
Mane novum pellit ſaturos conditque latebris,
Et vocat è ſtratis avidos ad aratra colonos.
Fervet opus donec jubeat diſcedere veſper.

O decor! ô cunctis lucens ſapientia factis!
Plena tui tellus, rerum Sator! æquora plena:
Æquora ſquamigerûm domus ingens, hospita nautis.
Vela tremunt Zephyris: balæna è naribus undas
Evomit, & tardo molitur corpore ſaltus.

In te, magne Pater! quæ ſpirant omnia ſperant:
Tu tempeſtivam præbes orantibus eſcam.
Te ſpargente legunt, ſatiataque divite dextrâ
Exſultant, marcentque tuo deſectâ favore:
In cineres redeunt, vitæ cùm dulce repoſcis
Depositum, juſſuque tuo de pulvere ſurgunt.
Tum nova vernat humus ſubitiſque arridet alumnis.

O regnes ſine fine bonus! ſine fine beatus!
Quæque creas ea lætus ames! Te vaſta minante
Terra tremit, fumoque metum jura celfa fatentur.
Tu mihi carmen eris, Genitor! tu ſola voluptas:
Tu deſiderium: rumpet mors unica vocem.
At cadat impietas, imaque à ſtirpe reciſa
Areſcat, juſtâque levet formidine terras.

Eia! age, divinos, mea mens! celebremus honores!



Psalmi CIV. Paraphrasis Poetica:

Auctore D. GUL. STUARTO *Ocbiltrio.*

Expleto nondum anno ætatis decimo quinto.

Eia! Patrem cane, pange Deo præconia laudum,
 Mens. cognata polo! quem majestate serenat
 Oris honos, redimitque sacris circumflua pennis
 Gloria, fidereo trabcatum lucis amictu.
 Ille sibi ætherii subsellia firma theatri
 Imbriferis contignat aquis, & celsus in axe
 Nimbijugo dat lora volans, vehiturque quadrigâ
 Aëriâ, ventos frenans auriga jugales.
 Aura levis promptis mandata capeffere pennis,
 Flamma voraxque sacras ulcisci accingitur iras.
 Fulta suæ molis solido fundamine tellus
 Stat nullâ violanda manu: quondam obruta tellus,
 Æquora cæruleo tegerent cum culmina velo:
 Voce tuâ rumpente moras, varioque tumultu
 Horrifono reboante polo, stupefacta repente
 Fulmineas tremuere minas, testante pavorem
 Terrificum refugo præscripta in mœnia fluctu.
 Cernere erat venis montes juga nuda solutis
 Tollere, & ad positas valles descendere metas,
 Et laceros undare sinus, vallesque per imas
 Irruere è mediis argentea flumina faxis.
 Neve iterum terras perruptis undique claustris
 Hauriat indomiti diffusa licentia ponti,
 Comprimis instabiles resono molimine fluctus.
 Perque humiles passim sinuoso tramite valles
 Præcipites volvuntur aquæ, prærupta secantes,
 Quas onagri pecudesque bibant: hîc remige pennâ
 Vecta per alticomæ spatiantia brachia silvæ
 Implumem fovet ore larem, ramosque frequentans
 Avia mulcet avis tremuli discrimine cantûs.
 Montibus imbibitur gelidis argenteus humor
 Nectaris ætherii: sensim & cum fœnore multo
 De terræ locuplete penu genialia surgunt
 Semina, vitales animanda vigoris in usus:
 Unde avidæ fœnum pecudi, mortalibus herbæ,

Et munus Cereale datur, mentemque gravatam
Bacchi animans genialis honos, & succus olivæ
Exhilarans rutilum diffuso lumine vultum.
Nec minùs & fœtus animat vegetabilis humor
Arboreos. Libani cedro sua tecta virenti
Concelebrat pennata cohors: tibi pinea surgit,
Cui sobolem creditque pios crotalistrâ nidos:
Sic filices lepori, sed echino concava fâxi
Indulgent facilem tranquillâ pace quietem.
Tu lunare decus stabili das temporis ortu
Instabiles lunare vices, & sidus Eoum
Clara renascentis referans spiramina lucis
Hesperio recubare toro: tunc, cùm urget in astra
Præcipitem lux prona diem, cava tecta relinquit
Quadrupedum silvestre genus, catulique leonum
Ore fremunt, poscuntque vagis alimenta querelis.
Cum croceis invec̃ta rotis aurora resurgens
Sparserit in totum radiis nova lumina mundum,
Cæca cavernosi subeunt penetralia fâxi:
Fervet opus, semperque hominum manus emicat ardens,
Dum ruit & fuscis nox terram amplectitur alis.
Mens mundi, rerumque Parens, quàm mira patrâsti,
Cuñcta movens, mota amplectens, amplexa gubernans!
Dædala nec tantùm sentit tua munera tellus,
Omnigenis diffusâ bonis, sed & undique fluctu
Æquora, quæ medias lambunt circumsona terras,
Tam patulo complexa sinu: quæ remige pinnâ
Concelebrat pinnata cohors, sulcantque per undas
Fluctivagæ vada salsâ rates: ubi grandia cete
Humida spumificis turbant crystallâ choreis.
Incumbunt hæc cuñcta tuæ, Pater optime! curæ,
Temporibus satianda suis: te dante renident,
Et dextram pendente legunt, condenteque vultum
Prorsus in obscuris tabescunt cuñcta tenebris.
Te vitam tollente, fugit modò corporis artus
Spiritus, & tenues sensim vanescit in auras:
Vitales afflante auras, generosa resurgit
Progenies, tacitasque novat gens aurea terras.
Gloria perpetuâ Domini renovanda juventâ
Floreat, æternamque operi det ferre coronam!
Quo radiis fulgente vagis, conterrita tellus
Intremuit, trepidisque fluens de montibus ater

Undabat tangente vapor. Te prosequar usque
 Laudibus, hæc luteæ dum putris fabrica massæ
 In cineres resoluta cadat: fatalis at imâ
 Impietas de stirpe ruet sine semine: sed mens
 Eia Patrem cane, pange Deo præconia laudum!

GUL. STUARTUS *Ochiltrius*.

Psalmi CIV. Paraphrasis Poetica:

Auctore D. *HENRICO HENDERSONO*,

Ab *ELVINGSTONE*, M. D.

MENS fer ad astra Deum! Is acidum columnenq; decusq;
 Transcendit cunctas tua magna potentia metas.
 Te veneranda tegit majestas, gloria cingit
 Lucis inaccessæ radiorum tegmine amictum.
 Tu cœli expandis radiantes luce tapetes.
 Plusquam marmoreis tua regia fixa columnis
 Fidit aquis: nubes reddis moderamine currus.
 Ventorum aligeros agitas temone jugales:
 Spirituum ætherææ legiones usque ministrant:
 Ignes & flammæ tua jussa capeffere gaudent.
 Ponderibus librata suis stat in aëre tellus
 Immota, exigui fundata statumine puncti.
 Hanc olim undisoni maris obduxere procellæ,
 Oceanusque furens super alta cacumina terræ:
 Horribili sed voce tuâ cecinere receptam
 Æquora, terribili tonitru fugiuntque repentè
 Attonitæ residentque imis in vallibus undæ.
 Scandere se simulant montes, descendere valles,
 In proprias sedes fixit quas Conditor orbis.
 Comprimis iratum pelagum, furibunda repellens
 Murmura, seu valido spumantiaque ora capistro
 Littoribus frenas, undisque repagula monstras,
 Ne velut antè fremens tellurem absorbeat unda.
 Tu salientis aquæ rivos, tu flumina aquarum
 Dejicis in valles circumlabentia montes.
 Unde armenta sitim, pecudes, onagerque, feræque,
 Largiùs epotis possint compefcere lymphis.

Ad

Ad rivos habitant volucres, ramisque canentes
Oris blandiloqui concentibus aëra mulcent.
Ipse rigas montes destillans æthere ab alto,
Fructu operum imprægnata tuo tellusque refulget.
Pabula tu pecori rorantia gramina profers:
Ufibus omnigenas hominis tu porrigis herbas.
Exhilaras animos vino, curisque mederis,
Efficis & nitidos oleo splendere vultus,
Pâne tuo fragiles reparasque in corpore vires.
Vivifici arboribus locuples data copia succi,
Cedrifero in Libano Domini quas dextra ferebat.
Hîc turmæ aligeræ fabricant sua frondea tecta,
Hîc vernatque abies ubi grata ciconia degit.
Barbigeris capris tribuis juga celsa petrarum,
Rupibus in mediis quæritque cuniculus antrum.
Per lunæ instabilem stabilis tua tempora cursum:
Tu rapidum Hesperias solem convolvīs in undas.
Jussa tegit terras tunc nox velamine opaco,
Egreditur silvis furiatæque turba ferarum,
Magnanimus poscit supplexque leunculus escam,
Te Dominum agnoscens: rugit, regioque pavescit.
Sol simul Eois roseum caput extulit undis,
In latebras & lustra redit truculenta caterva:
Tunc ad opus se accingit homo, alternosque labores
Fert, donec tenebrosa nigris nox incubet alis.
Ampla tuæ laudis quot facta illustria prostant!
Singula & in proprios usus sapientia finxit.
Luxuriansque tuis opibus terra undique gessit.
Sic pelago hoc magno vastoque potentia grandis
Lucet, ubi undigenæ gentes regna uda pererrant:
Innumeræ reptant immanes mole feræque
Et parvæ, piscesque natant saliuntque per undas.
Hîc & fluctivagæ fulcant vada falsa carinæ,
Et ludit liquidis magnus leviathan in undis,
Exstans supremi mirandum plasma Parentis.
Quæque salo, quæcumque solo generantur ubique,
Te spirant, sperant, venerandum & numen adorant,
Et poscunt dulcem opportuno tempore pastum.
Cuncta legunt escas tribuis quas providus ipsis,
Teque manum expandente bonis satiantur opimis:
Si vultum abscondis sunt consternata pavore:
Si revocas animam subito mors occupat atra,

Inque suum vilem cinerem resoluta faceffunt:
 At rediviva creas validus si spiritus inflat,
 Et decorat mundi faciem renovata juventa.
 Gloria florebit Domini per secula seclum:
 Ille triumphabit gestis, lætabitur actis.
 Cujus ab adspæctu tellus concussa tremiscit:
 Cujus contactu montes ad sidera fumant.
 Dum fervet calidus circum præcordia sanguis,
 Dumque superstes ero recinam Dominumque, Deumque.
 Dulce erit eloquium mihi, quod penetralia cordis
 Effundent: erit ille mihi mea sola voluptas.
 Funditus excisi pereant cum stirpe scelesti,
 Lumina nec solis turba umquam impura revifat!
 Mens fer ad astra Deum, Isacidum columnenque decusque!
 Cuncta creata Deum totum celebrate per orbem!

Psalmi CIV. Paraphrasis Poetica:

Auct. *NINIANO PATERSONO*, V.D.M.

DEUS GLORIOSUS.

A Ccipe nostrarum, Genitor! præconia laudum,
 Qui super excelsi sinuosa volumina cœli
 Lucis inaccessæ splendens, venerandus amictu
 Majestate sedes augustâ, quique capeffis,
 Quidquid id est, mundi jure inferioris habenas.
 Tu superi convexa poli tentoria figis,
 Atque tibi liquidis regalia ponis in undis
 Tecta habitanda: levi raptos super axe jugales
 Nubila divinis cogis servire lupatis:
 Inventa adspirat Zephyrus famulantibus alis.
 Ociùs angelici, flammâ per inane volante,
 Turba chori levibus tenuem secut æthera pennis.
 Libratumque suis valido suspendis ab axe
 Ponderibus mundum, moles ne tanta vacillet:
 Quam, velut injecto circumvelamus amictu
 Corpora, sic cumulus quondam subtexit aquarum,
 Usque adeò ut guttis juga celsa inspersit amaris.
 At simul increpuit tua vox, subitoque fragore

Into-

Intonuere poli, perterrita montibus altis
 Mox delapsa ruunt per apertas flumina valles.
 Neve iterum effuso stagnaret ab æquore tellus,
 Arctus ab appolitis limes determinat arvis.
 Hinc, alta de rupe cadens convallibus imis,
 Volvitur obliquus per saxa humentia rivus:
 Unde per incultos relevent errantia campos
 Bruta sitim, sicque onagri vaga flumina libent.
 Hic levis æthereas quæ nititur ales in auras
 Suspendit ramis (operosa cubilia) nidos,
 Ingeminans suaves ruris solatia cantus.
 Defluus incumbit scopulis ardentibus imber,
 Cultaque labentes potant sitientia lymphas.

Alma parens frugum tellus tua munera sentit,
 Quæ partu fecunda suo gemmantia reddit
 Gramina, quæ victumque homini pecudique ministrant:
 Quæque cient alacres turbato in pectore motus,
 Prodit odorati fragrantia munera Bacchi,
 Quique hilarat vultum succum viridantis olivæ
 Sufficit, & Cererem reparandis viribus aptam.
 Hinc fœtu largo saturatis prodiga fibris
 Arbor fundit opes: Libani celeberrima cedrus
 Gloria diffundit spatiantia brachia ramos,
 Alitibus nidos: thalamos procera pudicos
 Hospitiumque abies tibi, grata ciconia! præbet.
 Gaudet inaccessis capra montibus hirta, cubile
 Gaudet in umbrosis fodisse cuniculus antris.

Cura eadem aërii tractus tibi: nam tibi lunæ
 Incertæ certo deducitur orbita motu.
 Tu solem auricomum, cimensum spatia omnia cœli,
 Ducis ad hesperium constanti lege cubile.
 Ergo feræ, obscuris dum nox amplectitur alis
 Tellurem, effusæ latebris grassantur opimæ
 Spe prædæ, & saltus latè populantur opacos.
 Ipsaque torvorum proles truculenta leonum,
 Tristia dum vacui stimulant jejunia ventris,
 Mugitu supplex victum tua numina poscit.
 At simulac radiis tectum patefecerit orbem
 Mundi oculus, trepido repetit sua lustra meatu
 Turba rapax, fessosque sopor complectitur artus.
 Sic genus humanum assuetum labor urget in orbem,
 Intentumque operi tenet à Pallantidos ortu,

Dum referunt tacitam rubicunda crepuscula noctem.

Quàm patet amotis sapientia provida metis,
 Summe Deus! Vel quanta tuæ miracula dextræ,
 Magne Opifex rerum! Quot numinis undique prostant
 Argumenta tui! Tibi vastæ climata terræ
 Quàm sis dives opum testes: testatur & unda
 Circumfusa tuis immenso gurgite terris,
 Quam variæ rerum facies & muta natantùm
 Agmina ubique colunt: illic exposita procellis
 Horrisonis falis alta ruit temeraria puppis.
 Illic terribilis mole & vasto impete pristis
 Fluctibus insultat, lusuque indulget inani.
 Quæ mare, quæ tellus, vel quidquid parturit aër,
 Seu pecudum volucrumve genus, sive agmina in undis,
 A te uno pendent, Pater alme! & pabula cunctis
 Sufficis, & propriam præbes poscentibus escam:
 Quæ das cumque avido ore legunt, alimenta que apertæ
 Debent quæque tuæ saturata animantia dextræ.
 Contrà, salutiferum dum condis languida vultum,
 Tabescunt, animamque potens dum subtrahis ægris
 Artubus, heu! cineres veterem labentia in ortum
 Quæque suos repetunt: hoc volvitur ordine fatum.
 Ast ubi vitales, Genitor bone! luminis haustus
 Indulges superi, vegetantia semina cœli,
 Mox nova progenies certatim assurgit in auras
 Æthereas, fœtuque beat sua secla recenti.
 Sic tua perpetuis celebretur gloria seclis,
 Rerum æterne Parens! Sic delectere tuorum
 Mole operum, læto diffundens gaudia vultu!
 Namque tibi solo (tua tanta potentia) nutu
 Terra tremit, tactuque levi juga nubis opacæ
 Umbra horrens furvo subtexit ardua velo.
 Ipse ego, dum incertæ peragam spatia ultima vitæ,
 Dum fruar æthereâ luce & vitalibus auris,
 Insigni te laude feram: mihi suaviter ictæ
 Materies eris una lyræ, venerabile Numen!
 Dulce tui eloquium mihi: tu mihi sola voluptas,
 Demulcens alacres purâ dulcedine sensus.
 At verò intereat prorsus cum stirpibus imis
 Eruta contemtrix superi turba impia sceptri!
 Tu, nostræ interea capiens decora inclita laudis,
 Magne Parens! festo semper celebrabere plausu.

Psalmi CIV. Paraphrasis Poetica:

Auctore *ARCHIBALDO PITCARNIO, M. D.*

DExteram invictam canimus Jovemque,
 Qui triumphatis hominum & deorum
 Præsidet regnis, animatque magnam
 Numine molem.

Quàm tuæ virtus tremefecit orbem,
 Juppiter! dextræ: Sacra tu sereni
 Pandis, immensum veluti volumen,
 Atria cœli.

Orbis, ac uni tibi nota summa
 Orbium, & nantes per inane vastum
 Vi tuâ terræ, Jovis esse clamant
 Omnia plena.

Tu domos priscae penetras abyssi,
 Tu rotis nubes vehis inquietis,
 Et manus ventis tuâ dædaleas
 Assuit alas.

Jura tu brutis facilesque leges
 Rebus imponis, quibus antra parent
 Æoli, parent rapidæ fluenta
 Fervida flammæ.

Illam, quam nobis patriam dedisti,
 Nobilem, tellus, hominum stativis,
 Fert tuas laudes per aprica nostri
 Littora solis.

Tu jubes illam placitâ revolvî
 Orbitâ, gyros sibi constitutos
 Audeat ne quo violare quondam
 Avia saltu.

Tu fallo victis dominante ripis
 Merferas terras hominesque, ut omnis
 Vicerit montis juga vis aquarum,
 Iraque ponti.

Voce sed magnâ monitæ Tonantis
 In suas undæ recidêre sedes,
 Et minas ponti domat infrementis
 Reddita tellus.

Illa, dejectis moderanter undis,
 Vox, salutari penitus ruinâ,
 Montium nasci juga valliumque
 Æquora jussit.

Arduum sævis marium procellis
 Littus opponis, tumidumque arenæ
 Aggerem, quem non superabit æstu
 Unda rebelli.

Attamen dulces latices in omnem
 Depluis vallem, tibi quos ab alveo
 Phœbus excivit maris, atque nubes
 Traxit ad altas:

Quos bibunt densæ pecorum catervæ,
 Quos feræ potant, aviumque turmæ,
 Quois sitim pellunt onagri colentes
 Invia teliqua.

Tu doces lætas volucrum cohortes
 Ramulos parvis onerare tectis,
 Et levi propter latices morari
 Otia cantu.

Proluit ficcam pluvialis æther
 Barbam & arentes humeros Atlantis,
 Thureis prægnans opibus Sabæas
 Ornat arenas.

Ebria epotis alacrisque tellus
 Nubibus gramen pecori dicatum,
 Divitem, humani pretium laboris,
 Sufficit herbam.

Vita frumentis alitur, Falerno
 Redditur vivax, oleo nitescit
 Frons, & ultrices jubet exfulare
 Pectore curas.

Siderum invadit patriam propago
 Arborum potis animosa ravis,
 Et caput cedrus Libani voluptas
 Nubibus infert:

Cedrus incertis avium catervis
 Dat lares dulces, abies pelargum
 Accipit civem piceo salubris
 Grataque succo.

Cuncta divini regit ordo fati:
 Montium damis juga destinantur,

Inter & rupes latebras echinus

Invenit aptas.

Tu stato lunam reditu fatigas,

Solis alternis radiis corusci

Objicis terras, retrahisque furvæ

Noctis in umbram.

Eripis foli, tenebrisque terras

Tradis ereptas : fera tum, relictis,

Ut famis suasit rabies, cavernis,

Territat orbem.

Ille prædonum leo sævientum

Rex, & ipsarum domitor ferarum,

Inverecundo licet ore, supplex

Te rogat escam.

Sol, ut aversæ rediêre terræ,

Cogit occultis stabulis leones,

Tum levant turmæ pecorum diurno

Corpora somno.

Tum quoque ipsorum domitor leonum

Excudit somnos homo, tum labores

Impiger poscit, reficitque fero

Membra sopore.

Quanta solertis monumenta dextræ

Eminent ! dextræ, freta quæ facesque

Siderum, & terras moderatur omni

Sole calentes :

Quæ per immensas pelagi paludes

Piscium mutos populos, pecusque

Sole vix utens regit, & profundo

Gurgite versat.

Hic volant puppes, choreasque cete

Improbas campo celebrant in udo :

Humidum vulgus stupet, & per imas

Diffugit undas.

Quæ fovet tellus, fluidumque regnum

Tethyos, turmas miserans egenas,

Tu foves solus, recreasque dolci

Munere vitæ.

Dividis seclis alimenta, dextram

Laudat altricem tribus omnis, & te

Exigit vitæ variam statutæ

Auspice sortem.

Tu relegatas animas in orcum
 Trudis, & vitæ rubicunda rumpis
 Stamina, occlusis adytis viisque
 Sanguinis almi.

Ast ubi fibris retidem ciere
 In suos flexas placuit cruorem,
 Tum ferax natis subito renidet
 Terra colonis.

Omnis hunc tellus colet, omnis ætas
 Dicet æternò celebrem triumpho :
 Ipse lustrabit placido beatas
 Lumine terras.

Illius nutu trepidare magnus
 Orbis, excelsi trepidare montes,
 Et metum mistâ tremulo favillâ
 Prodere fumo.


Juppiter carmen mihi semper : illum
 Nostra clarabit lyra, dum nec anni
 Denegant vires, neque sanguis arti
 Tardior obstat.

Juppiter solus mihi Rex & auctor :
 Illi ego inducam choreas ovantes
 Victor, Eois numeris peritus
 Pangere carmen.

Ipse det terrâ pietas ut omni
 Regnet, & virtus rediviva cœlo
 Æquet humanum genus : illud à te,
 Juppiter ! ortum.

F I N I S.





W. Seask

